ROBERTI
Fairlæi, humaniorum literarum *Mussilburgi* professoris, *Neanica.*

H. e.

Horologium *Automatum.*
Pædotrophe, sive puerorum educatio.
Natales & aræ Isaci.
Epigrammata.

Ne, si displiceant hæc parva Poemata ringas
Hac vt displiceant sunt tibi lege data.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu———



Edinburgi, Excudebat Iohannes Wreittonus.
Anno supra M. DC. vicesimo octavo.

CLARISSIMO, & ORNATISSIMO DOM.

M. Thomæ Hopæo à Craighall, *alteri augustis-simi Regis CAROLI magnæ Britanniæ Monarchæ, &c. Advocato, eidem à Consiliys secretioribus, & Scaccario, literarum & literatorum Patrono.*

S.



*Plendidissimus est Sol (*Clarissimè Do-mine,*) sed Sole splendidior tua virtus: illum cæci non videant: hanc sinè oculis omnes decernant & collaudent. Vera est non inanis, nec quæ à levium hominum umbratili opinione dependeat: sed quæ in solidà relligionis basi firmata, & quæ bonæ conscientiæ testimonio fulcita sit, quæ denique verum bonum* ϗ το τελειον *persequens cætera vt somnia despiciat.* Huius *conscius Augustissimus & Serenissimus Rex noster CAROLVS major, vel (quod malim) maximus, Te* των λογων ρητηρα ϗ των ἔργων πρηκτηρα καλων *esse intelligens, advocatum suum delegit, sibique à Consiliis sanctioribus & Scaccario esse voluit, diu vivat* Cæsar *noster qui virtutem algere non sinat, sed honore & laudibus extollat. Sero moriaris tu, qui virtute & doctrinâ, Monarchæ tam pio & prudenti servias; qui Musis & Musarum studÿs faveas. Quantus musarum Mecœnas fueris frustra commemoraverim, sera ex monumentis*

hoc

hoc noverit poſteritas: Academia Jacobi *Regis (tantum beatam regii nominis memoriam ſuſpiciebas) Muſarum muſæa oſtendet quæ largis ſumptibus & illuſtri apparatu extruenda curaſti. Infinita alia in egenos beneficia collata quę mortales latent, & quę vix læva è dextra prodeuntia cognoverit, Deus in cœtu ſanctorum immortali gloria remunerabitur. Hæc geſsiſſe, tua & maxima laus eſt, geſta vero me ſcribere mea & non ultima foret niſi Solem clariſſimum alieno lumine luſtrare velle viderer. Quam eruditus, ſagax & ſolers quam doctrinę omnigena dote repletus, teſtantur ingenii monumenta quæ moliris penè ſtupenda. Quare me reprimo & qualiacunque hæc* Nennia *tibi in perpetuum ſtudii, amoris & officii monumentum dico. Ariſtarchos & cenſores parum æquos, vel optima queq; carpere quam capere facilius ſolitos, non defuturos arbitror; ſed (quæ tua gravitas & prudentia eſt) facilè omnes retuderis: & ſi tenella meſſis huius ſemina, maturitatem qualemcunque poſthac conſecutura approbaveris, magnum profecto fructum percepiſſe videbor, & benigna favoris tui aura in poſterum ad graviora fortaſsis provehar. Deus cœli ſolique opifex nobile animi tui robur, & excellentem virtutem tuam robore ſuo invicto & potenti dextra ſua magis magiſque confirmet, diu te nobis incolumem conſervet, donec prolis tuæ ſpectatiſsimæ & ſpei optimæ honores, & nepotes ſeros videris quo tempore plenus annis & honoribus, in commune Chriſti & Sanctorum regnum tranſeas precor,*

Vale.

Muſſilburgi; 5. Cal. Aprilis. 1628.

AD EVNDEM.

ΘΩΜΑΣ Ο'ΥΠΑΙΟΣ.

Αναγραμμα.

Θυμῳ ἅπας ὅσιος

ϗ

Μυθῳ ἅπας ὅσιος.

ΑΙδος μὲν νεον ανδρα γεραιτερον αξιεπαινον
Αινεμεν, ὃς μυθοισι πεπειρησαι πυκινοισι,
Ρεια ϗ αρίγνωτος, αγναιον τ' ὥτε Κρονιων
Ολβον επικλωσῃ, γαμεοντι τε, γεινομενῳ τε,
Ολβιος εν μυθοις ὅσιος, ὅσιος τ' ενι θυμῳ
Αντιθεῳ, δαΐφρων, μαλα ϗ πεπνυμενος εργοις
Ρεζεμεν ὧδε κακον ὡς. μηδ' ανεμωλια βαζειν:
Αξιος εἶσ' ευχῆς συ πλειονος η παρα Μουσης
Αινεισθαι δυνατον: ταυτης, ου μειζονος οντος
Ελπις ἐμη τε, βροτων τ' ελπις, μελεδημα θεων τε
Μυθῳ ὅσσ θ' οσιος ϗ θυμῳ, πας ὅσιος ε
Δεινον μηδεν εχοις, ευεργεσιαις τε χαρειης.

Ad Spem.

IMpubes *Spes* sola annos si extollat honore,
Nascentem laudet, *Spesq;* futura diem
Prægnantem partus *Spes* si pergrata parentem
Sustineat, longos comminuatque dies:
Et *Spes* si beet agricolam, jejunia pellant
Spe si, cum duro parca colona viro.

Musæ annos lauda primos Spes optima nostra
Et venæ, primos ingenijque dies.
Sis Musæ *lucina* altos miserata labores,
Spes Musæ votum parturientis habes.
Spes nostris faveas arvis vix vomere sectis
Fertilior Musæ quo mihi messis eat.
Spes *honor* & Spes *alma* mihi *lucina*, *levana*
Et mihi pro *cunctis Spes* eris vna *dijs*.

Tibi dedicissimus

Robertus Fairlius,

Mussilburgi literarum humaniorum
professor & Scholarcha.

In *Robertum Fair-laye* (h.e. καλὸν μέλος, si vertas) hu-*manioris literaturæ professorem meritissimum.*

TAm verum est verbum quà, mi *Fairlæe*, vetustum
Conveniunt rebus nomina sæpe suis.
Nomen honesta tibi sive hæc figmenta dedére,
Sin potius pulchrum carmen, utroque clues.
Splendida si numeris epicis mendacia tractas;
Fit veris falsum protinùs assimile.
Si Cœli motus, horarî aut dædala membra
Enumeras; superam conficis harmoniam.
Ausoniam lyricis cytharam si versibus aptas;
Credimus Odrysiam personuisse lyram.
Denique quicquid agis, fingis, meditàris, aisve,
Suaviter, & *pulchro carmine* id usque canis.
Si memini Albanæ folijs inscripta *Sibyllæ*;
Dicêris Musis post-modò καλόμελος.

G.S.

Ad Authorem.

QUid mentis cultura queat dum disseris, ornas
Te simul & *Spartam Fairlie* culte tuam.
Nam quem aliis suades, in te das cernere cultum:
Nulla; vel hæc rectæ est ars bene suada viæ.

Pat. Sandæus.

Ad Eundem.

VT *Socrates* quondam claris florebat Athenis
Jngenio, eloquio, moribus, arte, νομοις
Πεντοσεφος παιδων formator, Apollinis ille
Judicio, solus primus & vnus erat
Sic tu *Conchopoli* solus *Fairlæe:* juventus
Pendet ab vberibus lacte fovenda tuis.
Nam te musarum princeps, te Pallas amica
Παιδοτροφον sophia, moribus, arte probant
Macte ergò auspicijs lætis & passibus æquis
Perge, & tu Spartam finge refinge tuam.

Jacob. Spensus *Pastor* Tiliallensis.

Ad Eundem.

PRæveniunt artes discendas nomina multis,
Sic Jdmon vates: Jasius medicus.
Splendida quod chartis vatum mendacia pangat
Fairlius, a cunis nomina vatis habet.

Iohannes Raius.

In Eundem.

NAturæ abstrusas silicum recludere venas
Ausus, ab ingenio claruit ille suo
Majorem ast ausus Naturę pandere vires
Fairlius ingenuas, demeriturus habet.
Hæc alios docuisse sua & non vltima laus est,
Prima tamen sibi sit se genuisse parem.

Georgius Nisbetus.

In Fairlæi *Pædotrophen.*

INgenuis multum juvat esse parentibus ortum,
Non tamen hoc natos efficit ingenuos
Virtuti verum teneris se assuescere ab annis
Ingenium & genium conferet ingenuum
Nemo igitur claro se jactet stemmate natum,
Qui non virtutis currere cœpit iter.
Quod tibi perspicue cum monstret *Fairlius* hîc,tu
Quisquis es, exiguum hunc volve revolve librum.

Oliv. Coltau

Ad *Robertum Fairlæum* Authorem.

VIribus *Vranies* cœlum deducis & astra
In terras, vasti das simulacra poli;
Ambitu & Horologî concludis mœnia mundi,
Quisque manu totum contineatque polum.
Præmia larga; solum linquendo scandis Olympum
Famę quam par est arctior orbis erit.

Iohannes Ro

FINIS.

HOROLOGIVM AVTOMATVM.

DUM *Phaeton* currus tractat male cautus habenas,
AEtheriumq; polum ſupremaq; culmina cœli
Scandit inaccceſſi, trajectus fulmine, curru
Excidit, & jacuit tepidis combuſtus in vndis.
Viſere flammiferum noli, mortalis, Olympum
Ante diem fati, ſin totus amore traharis
Aſtrorum, & cupias cœlorum noſcere metas,
Biſq; arces ſuperare poli, non cernere tantum
Sitq; animus, quin ſceptra Jovis comprendere dextra
Ardeat, hic ſi tantus amor, ſi tanta cupido eſt
Regnandi, & tanto juvat indulgere labori:
Horologî motus regito, quod nobilis arte
Ponitur artificis, cœli ſinuantis imago.
Hoc mea Muſa canet, primis licet abdita cunis
Vagit adhuc, palmas nec tendere poſſit inermes.
Avia ſaxa peto, primæ fervore juventæ
Percitus, ire juvat quo me mea Muſa vocabit.
Grande poetarum decus & pia gloria vatum
Phœbe veni, cœptis Deus aſpirato ſecundis.
Materiamque ſequatur opus, ceu circinat orbem
Jlla mouens, nullique refert conamina motus:
Sic ſacro divoque fluat diſtenta liquore
Vena, nec invitis recinat mea Muſa camœnis.
Mens hominum ſacro de ſtemmate nata deorum

Effigies germana Dei, religata catenis
Corporeis, vultu totum circumspicit orbem,
Nec satis est vidisse Iovis divûmque labores;
Æmula quin fingat magnæ fundamina molis.
Nonne vides terras tenui sub imagine chartis
Jmpressas? parvæque tenent quot regna tabellæ?
Hic simulacra dabit carptim glomerantis Olympi,
Sphærarum pulchro radiantibus ordine stellis.
Ille faber fingit fatum, supremaque vitæ
Lumina, & horrendo parcarum munere gaudet,
Inque Polos alius majores monte colossos,
Pyramidasque struit, tangentibus astra columnis.
Quæ non ima petunt, puteis Plutonis in aulam
Perfossis? queritur constratas ædibus vndas
Neptunus, jactisque exhaustum montibus æquor.
Jupiter imperium magni qui dirigit orbis,
Quique tenet quæcunque polos spectantia constant;
Nil potis est præstare suæ molimine dextræ,
Quod non vera Dei proles mens provida fingat
Arte potens, cernas clarum Salmonea, fulmen
Horrisono ærati simulantem murmure currus,
Cernas & monachos, farto qui pulvere plumbum
Tormento excutiunt, cœlumque minaciter urgent.
Aera nec tantum scandunt, ubi fulgura spissis
Emittuntur aquis, quin conflagrantis Olympi
Effigiem; duri faciunt de flexibus ęris.

Quod totum est, & cuncta fovet sub fornice curvo
Cujus habet centrum Tellus, confinia Pontus,
Aer, extremo gaudentque incendia cœlo:

Quam

Quanta est cunque poli facies comprenditur arctâ
Pyxide; mole simul, formaque simillima conchæ est,
Orbe sub excelso detruditur arduus *Atlas*,
Syderibus tremuli succumbunt *Herculis* artus,
Impos enim mortale genus portare verenda
Tecta *Iovis* magni, cœlumque quod omnia cælat
Sustentare manu, sed gens tua docte *Prometheu*,
Pondera tanta dedit plumis leviora volucrum,
Quodq; nequit cœli fulsit qui vertice stellas
Atlas, terrarum domitorq, trinoxius heros,
Nympha facit, denos nondum quę viderit annos.
Velque sinu condit, mammosi pectoris inter
Tubera, (sed caveat fallat ne *Iupiter* ipsam
More suo, & fictas pro veris incolat ædes)
Apportat perâ, molli vel gestat in aure,
Ibit, & excelso comitata redibit Olympo.
Utque rotas caperet plures, est forma rotunda
Pyxidis, ovalemve refert oblonga figuram:
Tutior hæc reliquis, magnique capacior orbis,
Et magis apta pati violenti corporis ictus.
Dextra dedit quodcunque Dei pro numine verbi,
Hoc aliquâ fruitur bonitatis imagine divæ,
Ortus nulla tenet Numen primordia, nullum
Quo sistat finem, pariter dignoscere non est
Vel quæ prima sient, vel quæ sint vltima cycli,
Qualis & excelso forma est aptissima mundo.
Tangere sed quoniam sublimia culmina cœli
Non datur, & digitis stellarum vertere sphæras,
Quæstio de incertâ constat pyrrhonica cœli

Materiâ, cunctis inde hinc ratione retentis.
Pars probat ignitum, clara quod luce refulget
Quæ patet in cunctis incensi causa caloris:
Aerium pars magna putant, expansio quod sit
Aeris, & cedat stellis penetrantibus orbes.
Nomen aquæ tribuunt alii: pars maxima quintum
Esse volet corpus, studia in diuersa feruntur,
Incertique suæ bivio stant mentis in ipso.
Automata hinc varijs cernis fabricata metallis,
Nunc auro fulgent flammas imitante coruscas,
Argento aut, dium superat quod lumine sudum,
Et modo quæsitis longinquo ex æquore gemmis.
Cum bifores fuerint expansæ in pyxide valvæ,
Regia celsa Jovis tornatis clara columnis
Paret, quale jubar, medium cum strinxerit orbem.
Mulciber ornauit non sic tentoria Phœbi,
Armaque magnanimi non sic cœlavit *Achillis.*
Lamnæ extrema tegunt binæ, queis puncta rotarum
Vltima volvuntur, parili defixa tenore.
Illa refert convexa poli, quâ respicit orbem
Empyrium, hæc monstrat volventis concáva cœli;
Figitur huic mediæ squamosus circulus auro,
Bissenis limbo spatijs dispescitur ęquis;
Solis iter, cursusque notant horaria partes.
Palmula quæ circi plano deducitur, ardens
Sydus, & accinctum demonstrat lampade Phœbum,
Vt vitreis caput igniferum sustollat ab vndis
Ore rubens, mediique gradus vbi transilit orbis
Ter quinos, cvi veluti consumpserit horam,
Utque

Utque per acclivem curru desultet Olympum,
Et medio flagret cœlo, post lumina condat,
Subter aquas, cæcis involvaturque tenebris.
Ceu jubar in motu non fertur sponte diurno,
Mobilis at primi rapitur vi, visere metas
Occiduas, mundique polorum vertitur axe.
Palmula sic centrum circa hæc invita recurrit,
Utpote quod medium propria grauitate reposcat
Secretâ remeet nisi vi deducta rotarum.
Spiritus adfer opem, divo me numine plenum
Accende, vt mea Musa rotas canat ore rotundo.
Nam velut expanso volvuntur sydera cœlo
Inque vicem stellæ subeuntes munia, servant
Unanimem fixumq; viæ metæq; tenorem:
Cernere nec possis, sit qua ratione, quis author,
Fons & origo siet, primum nisi Mobile noscas,
Ducentemq; polos mirando numine mentem:
Nulla datur pariter manifesta scientia palmæ,
Quis cursus, quæ causa, modus, quis terminus extet
Contigerit nisi scire rotas, quæ forma, quis ordo
Jnter eas fuerit, vel qua ratione recurrant.
Principio, mundi jacto cum semine, pontus,
Terra, polus, triplex sit condita machina rerum:
Imparis illa fuit molis, cœlumq; supremum
Ascendit, quo cuncta suo circundaret orbe,
Sic cohibet terram pontus, supremaque ponti
Aer, quem supra pręfulgent aera flammæ,
Imparibus quin ipse nitet conflatus Olympus
Orbibus, & superat Lunam Cyllenius ignis,

 Hunc

Hunc Venus, at Venerem Sol excipit aureus, inde
Mars radiat, celsâque Diespiter arduus arce,
Vertice sustentat confectum ętate parentem,
Huncce caput cinctum stellis, crystallinus ambit
Orbis, & hunc cingit cœlorum Mobile primum,
AEterni sedesque Dei tanta agmina claudit,
Mole licet sphæræ varient, virtute sed ipsâ
Conveniunt, concors vnde est discordia molis.
Inspice cœlorum simulachrum, quanta rotarum
Disparitas, numero quatuor sunt ordine fixæ,
Ultimus haud nonum tangit constrictius orbem
Quam rotulam rota contingit, majorque minorem,
Mobile *Prima* refert primum, nonumque *Secunda*
Hac minor & *Quartâ* major fit *Tertia*; cunctæ
Sed tamen in proprio conservant tramite cursum.
Neve rotę numero projectos æquore fluctus
Exuperent, stellisque pares sint ætheris orbes,
Atque infinitum sit, quod natura refugit,
Automatum chalybæa movet, non ipsa movetur
Spira, velut cœli convoluit *Spiritus* astra,
Motricis primæ gaudet qui nomine *Mentis*,
Non manibus sphæras pellit, non assidet orbi,
Nauta velut navi, cujus dum tractat habenas
Tangitur, inque vicem tangit, *Divina* sed orbes
Mens virtute regens, animi sua sensa retorquens
Cogitat, impulsu mentis sic dirigit astra.
Horologi primam possis sic cernere mentem,
Quodque loco mentis causa est huic primula motus,
Postera qua pyxis surgentis limina Phœbi
Aspicit

Adſpicit, hic motrix conſiſtit, noſcere quid ſit
Vix datur in *Doli* lateat quod condita fundo;
Fingitur inque modum ſinuoſi flexibus anguis,
Serpendo qui jam feſſus, per gramina lentus
Se trahit, ac multo ſua terga volumine torquens
Sternitur, excuſſo donec ſe expandere ſomno
Jncipiat: ſic ſpira latet chalybęa, retorta
Sæpius in ſemet, quadrato & figitur axi.
Marmoris vnda velut protrudit fortiter vndam,
Poſteriorque movet primam, ſic vltima Spiræ
Prima cient, motum chalybis facientia circa
Dolioli centrum, clauſo quo conditur, index
AEthereę ſiet vt mentis, quam lumina cernunt
Nulla, nec humani poſſunt attingere ſenſus.
Huic rota contigua eſt primi quæ mobilis inſtar
Motricis ſequitur ductum, reliquaſque rotarum
Vi rapit, occiduis, Eoas verſus, ab oris.
Pyramis accenſam, referens quæ vertice flammam,
Craſſior ad fundum eſt, tenuiſque accreſcit in altum,
Figitur in fundo rotulæ, circundata filo:
Hoc ſimul extremo doli connectitur, alter
Pyramidem finis retinet, tantoque mouetur
Tempore, quanta ſiet fili dimenſio, *Spira*
Quod trahit in ſemet, *Doli* convexaque cingit
Donec clavis agat retrorſum, dolia nudans.
Non ſecus Automati motus fit ſtamine longo,
Continuus, quam vita, brevi quæ limite clauſa
Parcarum ſequitur penſum, quod conſcia fati
Net *Lacheſis*, *Clothoq;* colum complexa lacertis

Geſtat & horrendo quum ruperit *Atropos* enſe
Fila, jacent calidi palpante in pectore motus.
Pyramidalis habet formam *rota phyſica* turris,
Motus vt æqualis *Spiræ* ſit pyxide cauſæ,
Nam quodcunque volet violenter, robore preſſum
Alterius contraque ſuę molimina formæ,
Concitat incipiens motum, ſed tardius exit:
Pyramis a *Spira* diſtat, dum claue retenta
Pandere ſe inceptat, curſuſque in viribus ardet;
Aſt vbi de rapido jam laxa vigore remiſit
Hæc minus atque minus ſemota propinquior aſtat.
Pyramis ipſa rotam ſequitur, dum fila remittit
Doliolo, ſed quum detracta retorſerit inde,
Immotâ movet ipſa rotâ; ſic *Phœbus* in orbe
Curvato, proprios fixo tenet ordine curſus.
In diuerſa licet rapiat nunc Mobile primum.
Navita dum fertur vi navis euntis in altum
Meridiem verſus, potis eſt inviſere puppim,
Reſpicit Arctoum quà ſydus; nonne rotatur
Dum figuli rota, diverſum ſub margine curſum
Poſſit habere culex, contraque aſcendere raptim?
Senſibus haud cōſtat moveat quo tempore quantū &
Hæc rota, ni longi ſiet obſervatio motus,
Ultima Sphæra velut mortalia ſenſa refugit,
Nec ſi Neſtoreis mutari noſcitur annis,
Mole minor ſequitur, motuque citatior illa
Non depreſſa jacens, fixo ſed vertice ſurſum
Tollitur, vtque minus vacuus ſit pixidis orbis,
Quinque poli cunctis motrices orbibus adſunt

Quę

Quælibet & propriam sortitur sphærula mentem
Axibus extremis nodi sunt, dente rotarum
Attriti pellunt alios, pelluntur & ipsi.
Jnde fit Horologi sonitusque, & sibilus ingens,
Liberum vbi demptis totum laxatur habenis.
At licet horrendo currat sine murmure Olympus
Utpote quod lęvis crasso sine tubere constet,
Fit tamen Automati strepitus, qui fulguris instar
Nubibus extincti, resonanti personat aurâ.
Cernere si *Spiram* possis tunc forte moventem
Se, varijs instar sinuosi nexibus anguis
Anguineam jures te jam vidisse catervam,
Sibila tollentes linguis vibrantibus ora.
Jamque rotæ pulchro figantur vt ordine, parvum
Accipiantq; loci, subsidit tertia centrum
Versus (vt ætherij nec stant æqualiter orbes)
Volvitur inq; modum pinnati splendida muri
Dentibus erectis, possit queis tangere quartam,
Ultima quæ sursum fertur, nec centrica mundo est
Transversam sed habens axin, duo lumina *Phœbi*
Respicit, obliquè secta est, signatque Planetas
Zodiaco errantes, vario discrimine motus.
Mobilis a primi sphæra quo longius absit
Inferior, tanto citius, citiusque mouetur:
Luna planetarum quâ non violentior alter,
Agmina cœlorum claudit; sic quarta rotarum
Ut minima, at longe distans, rapidissima fertur.
Nec movisse satis cœlum est, nisi fixa tenore
Sydera perpetuo volvantur in æthere centrum

Circa, quo possint hęc sublunaria vivo
Sustentare sui motus nutrita calore.
Quid juvet immotus vel si nunc staret Olympus
Frigidior cæcâ concrescet mundus abysso,
Effusum seu ferret iter, tunc omnia flammas
Conciperent, hinc est cursus moderatior orbis:
Automato hinc chalybęa datur pręfortis habena
Quæ regat, vt navem jactatam marmoris vndis,
Pareat incertam Domino cui, clavus in altum
Promouet, & tuti perducit ad ostia portus.
Horologi leviora sient si pondere fræna,
Aut justo graviora, ruet tum pyxidis ordo,
Nec nisi confusus spectabitur ęthere motus;
Ut ratis, a justâ libret nisi onusta saburra,
Non rectis stabit malis, ast inde vel inde,
Sorbet aquas, cœli aut debet ludibria ventis,
Sin gravior fuerit, puppi nec pondera merces
Commoda sint, tardo resecabit marmora sulco.
Automati cecini partes, fundamina parvę
Pyxidis ostendi, nunc qua ratione regantur,
Non minus artis erit felici pangere versu,
Ne tu forte sies Phaeton ruiturus in vndas
Respice, ne temere mundi moderamina dextrâ
Corripias, puer ille rudis mandata parentis
Tempserat, & toti fuit alter Herostratus orbi;
Ante Promethæam (sapias si) consule gentem,
Caucaseis quæ fixa jugis, penetralia celsi,
Præconsumpta jecur curis, scrutatur Olympi;
Immensi quam parva regas compendia mundi,
Fictilis & quoniam cœli moderamina gestas,
Fulmina ne mittas, nec demptis murmure habenis,

Perſtrepat automatum, totus ne corruat orbis:
Hic ſævire minus ſapere eſt magis, horrida finxit
Fulmina Salmoneus, vero ſed fulgure cæſus.
Virgineas adhibeto manus, ne forte rotarum
Jncurves dentes: talis concordia conſtat
Horologi, qualis cytharæ reſonantis in aure,
Complures habet hæcce fides, diſcrimine pulſus
Jnter ſe varias, gravis hæc erit, illa ſonora,
Conſpirantque ſoni tanto modulamine dulcis,
Tenſior vt fuerit ſi quę vel laxior vlla,
Concidit omne melos, divini & gaudia cantus;
Automati moles parili diſcrimine ſplendens,
Concordi, rotulæ ſi vel rubigine parvâ
Denticuli ſcateant, curvo ſeu vertitur axe,
Cæca velut mundi ſtabit confuſio, qualem
Deucalionis aquæ dederant; quum condita limo
Cuncta forent, putri ſtagnantibus æquore campis,
Pallade invnge rotam, celeri ſic ſedula curſu
Jbit, ad extremæ donec pervenerit oras
Pyramidis filum, forti tum clave retortum
Hoc ruat in ſpiras, veluti cum Cynthius hircum
Cornigerum linquens, ad curvi brachia cancri
Scandit, & acclivem ſpirando tranſilit orbem.
Denique cœlorum cupias ſi quid ſit imago
Diſcere, ſique poli ſtudeas cognoſcere prolem,
Prototypum cernas, oculos huc dirige mentis,
Inquiras in Solis iter, ſtellaſque vagantes,
Multiplices cœli ſphæras, & numina mentis;
Horologi ſic arte rotas conuolvere poſſis.
Et motus tractare vices cauſaſque referre,
Parvus & in parvo regnaris Jupiter orbe.

FINIS.



AD ILLVSTRISSIMVM

ET CLARISSIMVM DOM. M. T. HOPAEVM a *Craighall*, alterum *Regis Advocatum, Regi a consilijs se-* cretioribus & Scaccario, Patro- *num suum laudatissimum.*

CArmine quid molles puerorum fingere mentes
Coner, & ad laudis excoluisse decus?
Cur doceam quid sit virtus? quid gloria? cuncti
Te speculum decoris, laudis, honoris habent.
Ingenuis oriundus avis es; sed tua proles,
Nobilis, excelsi, dicitur esse patris.

Tibi addictissimus

R. Fairlius.



PÆDOTROPHE.

INclyta majorum prę̨conia, nobile stemma
Patris, avi, proavi, materni sanguinis ordo
Jllustris, laudes, virtutes, gesta parentum,
Felicem non hęc prolem, non sola beatam
Efficient; tamen jngenui prę̨conia patris
Splendida, ad omnigenum natis sunt calcar honestũ,
Quis miser, ignavi fæcis fæx infima vulgi?
Thersites, mundi macula esto, animæque minutæ,
Filius aut terrę? qui non peccata parentis,
Flagitiumque rubens, demittat lumina, vultus
Cujus & ad nutus sit non obnoxius omnes:
Ille nothus, jactare genus volet omne paternum,
Quantus avus, quantus pater & quot iugera terræ
Possedit, sed de matris ne nomine constat,
Ut quam tota vocet plebs Edinæa mathildin
Forte galactophoram, nivei quam mentio lactis
Sępius ad raucæ perduxit murmura ravis.
Hic aviam laudare volet, matremque Sabinam;
Sed de patre silet, rubor inficit ora paternum
Ad nomen; curruca, catillo, morio, scurra,
Et mimus lapidator, directarius audit:
Tantum est ignavos puerum genuisse parentes.
Pellæus iuvenis prædc orbis, conscius altæ
Virtutis, mentisque paternæ, nolit habenas

Buce-

Bucephali trepidare frementis, natus & annos
Vix denos, cursus vocet in certamina reges.
Quid Diophanti imperium? quem sæpe sodales
Mirati, inter quos ludens dicebat Athenas
Imperio parere suo, vt qui nouerat iras
Matris, & obsequium hanc erga proclive paternum,
Nam quicquid matri præcepit, mater & illud
Præcepit patri, pater imponebat athenis.
AEmula nobilium proles virtute parentum est.
Ergo pater quicunque velit feliciter altum,
Candida cui parcę diducant stamina, natum,
Inverso ne infausta stylo jugulabitur illi
Natalis, pario sed sit signanda lapillo,
Esto illi galli & gallinę filius albæ.
Nulla domum prius ornavit pręclara supellex
Attalica, aut junctis nituerunt marmora crustis,
Quam stabilita loco fuerint fundamina celso;
Laudibus & dignam cupias si fingere prolem
Dogmatibus sophię vel magnę dotibus artis,
Principio generis ducatur stamen honesto.
Jamque vbi vagitus dederit puer ore recentes,
Ore cibos nondum poterit qui mandere, mammâ
Lactandus molli, matrisque fovendus in vlnis:
Nulla est nutrici merces tribuenda, parentis
Verus amor (nullo pretij qui munere constat)
Unguiculis proli largitur ab usq, tenellis.
Num mater cęci portans pia pondera fœtus,
Quem nunquam conspexit, alat? (non vbere puro;
Sanguine sed, venis tacite qui defluat imis)
Natum

Natum autem, & fausti productum in lumina solis,
Quem videat vitę sensusque, animæque, capacem
Negligat? & lactis distentum deneget vber?
Quæ pietas materna pios exponere fœtus?
Ursa parit, partum lambit, distentaque præbet
Ubera, ponit avis spinosis sentibus ova
In medijs, mollique fovet sub pectore, donec
Exierint pulli, ruptoque putamine reptent,
Quin matutini prævertens tempora solis,
Ore legit vermes media inter saxa, fluenti
Ad ripas, quos deinde penu depromat ab oris
Pullorum in fauces; mater non lacte parato,
Quod natura dedit, quod non aliunde requirat,
Nutriat infantem? nuper qui lucis ad auras
AEtherias prodit? meretrix sed Faustula si sit,
Vel lupa, quam nummis fulvi conduxerit ęris,
Huic tradens natum infelix amandet alendum:
Jlle lupæ tepidæ dum pendet ad vbera, virus
Imbibit, ingenio tandemque simillimus ipsi est.
Fur, mendax, rapiens nummos, lective jugalis
Furtivus prædo, veneris qui furta nefandæ
Sectatur, merito vt genitor quum tollere natum
Se meminit, proprij deploret tædia facti.
Ubera vos matres date natis, provida mammas
Queis natura dedit binas, vt nectare lactis
Possitis geminum quamvis, producere partum.
Non satis est lactis pueris alimenta dedisse;
Nec formasse animos longâ assuetudine morum
Dum faciles; & cera velut sit ductilis ętas.

Pectora ſic mollit materni guttula lactis
Infantum, vacuas miſſi quum in luminis auras
Vagierint, facile vt formentur imagine rerum
Quacunque, & nullas poſſis non ducere formas.
Ut figulus terram mixtam fluvialibus vndis
Jn rerum fingit facies, & mille figuras
Vaſorum, nec quum iam obduruit, arte refingat:
Mollia ſic puerum confingas pectora, matris
Quando lacte madent, cunctæque capacia formę
Poſt modo ne hæc eadem non longi temporis annis,
Dureſcant fervore animi, flammâque iuventæ
Nullius & poſſint iterum molleſcere curâ.
Ergo bonas infunde animis atque auribus artes,
Virtutes pellunt vitia, aſſuetudine virtus
Diſcitur, & longo finguntur tempore mores
Una duos peperit catulos canis: alter in aulâ
Eductus, pinguiſque ad condimenta culinæ
Lingendis ſtuduit patinis, ollæque nitorem
Acer odorauit fumantis: at alter in agris
Venari aſſuetus lepores, veſtigia cervi
Perſequi, & ad montes lapidoſos pellere damas:
Hos vbi venator medię per gramina vallis
Duxerat, inque feras miſſurus carcere ab vno,
(Jnclamans) geminos vnoque ligamine ſolvit,
Hic leporem ſectari auſus, deducere curſus
Mæandros varios, donec ſub clunibus hærens,
Ceperat, atque avidas ſatiarat ſanguine fauces.
Ille alter longo patulę ſpiramine naris,
Ore viam legit, donec per ſepta culinæ

Venerat, inque imas caput occultaverat ollas:
Altera nam cunctis est assuetudo creatis.
Natura, hanc pellas furcâ licet, vsque recurret.
Hinnulus ætherei natus sub vertice montis
Bagenochi, in nivibus nullo quæ a sole solutæ,
Sæpe novos medio expectant sub monte decembres,
Matre ferâ ferior, ventis spumantia jactans
Ora (jubas quatit aura, nemus, montesque fatigat
Hinnitus, prędura solum quatit vngula saxi
Quadrupedans, fremituq; boit cœlũ omne profundo)
Insidijs tandem captus, disrumpere vincla
Conatur, pedibusque astrictos solvere nodos,
Indocilis stringi; mox frena sonantia mandit
Ore ferox; mollique, reportat ephippia tergo
Et gressus glomerare, & saltus tollere doctus,
Quem puer vndenos nondum qui viderit annos,
Flectit ad obsequium virgarum & verberis vmbram.
Consuetudo cicur fecit genus acre leonum:
Androcles fugiens capitis vitęque cruentum
Supplicium, ad sylvas dumis atq; ilice nigra
Devenit densas, vbi noctis frigore (cunctis
Quum sopor altus erat) contristis, forte leonis
Intravit lustrum rapidi, quod lumina *Phœbi*
Nescierat, multo exesi sub fornicę montis:
Ille miser folijs & sicco cortice flammam
Dum ciet, ingreditur leo torvus, cuncta rugitu
Complet, & Androcli ostendit letalia plantæ
Uulnera, quam sentis mediam confixerat, jnter
Horrentes sylvę spinas, atque arbuta saxi,

Androcli pavidâ trepidat formidine pectus;
Et tremulâ ſpinam evellit de vulnere dextrâ:
Tanta vnde exorta eſt moru n aſſuetudo leonẽ
Inter & Androclem, quoties exiret vt ille
In ſylvas prędam facturus, ferret in antrum
Corpora captarum aut avium, carneſve ferarum;
Quin quarta poſt inde hyeme, aſpectante theatro,
Androcles circi media inter ſepta, leoni
Objectus, mortem expectans, & pectoris iras
Sanguineas, fidum ex inimico invenit amicum,
Nam fertur poſuiſſe minas leo torvus, & omnes
Porrexiſſe homini rugas, vultuque ſereno,
Et caudâ amplexus molli: mutaverat iras
Jngenij, atq; animos longa aſſuetudo leonis,
Inde habuit comitemq; viæ, lectiq; ſodalem,
Et totos, veluti cum conjuge, vixit in annos,
Pſittacus a celſis quem miſerit India ſaxis
Gramineâ indutum pallâ, minioq; nitentem,
Garrulus, & nullo vocis diſcrimine ſolvit
Ora, niſi aſſuetus longo ſit tempore verba
Reddere, & humanas docte confingere voces.
Cæſaribus tunc dicet (ave) hic, oleumve dolebit
Ac operam longi ſeſe luſiſſe laboris.
Tempore dura ſilex guttâ ſtillante cavatur,
Tempore conſumptâ fulget rubigine ferrum
Tempore molleſcunt ſegetes, fit tempore tempus
Tempore firmatur longa aſſuetudo, repellit
Quam vis nulla, rotas vt ſi quis tempore longo
Curvatas, ſtudeat recta propellere longas
Non

Non nisi perruptis poterit distendere cyclis.
Rumpetur consueta prius quam pocula mittat
Ebrius, & pleno non proluat ilia vino:
Sobrius at rapidâ capitis vertigine contra
Vexatus, tumidam torqueri flatibus alvum
Senserit, aut tetri letalia semina morbi,
Si quando consueta gulę moderamina misit:
Rex Ponti virus metuens, & triste venenum
Hoc primis primum fertur gustasse labellis,
Deinde mero mixtum plenis hausisse culullis
Donec id in stomachi vires alimentaque cessit,
Tabifici perdens vires, virusque veneni.
Consuetudo mali materq; boniq; noverca est,
Dat natura illam, verum hanc labor improbus edit.
Principio, quando magnum per inane coacta
Semina terrarumq; animæq; marisque fuerunt,
Mundi opifex hominem divino semine fecit
Virtutis, justiq; capacem, cuncta scientem,
Enthea cui in medio succrevit pectore flamma,
Cernere quâ possit, rerum & cognoscere causas:
Postquam autem Dæmon cœlo turbatus ad orcum
Perditor humani generis (cui mille nocendi
Sunt artes) hominem seduxit: tota recessit
Vis mentis divina, animum invasere tenebræ,
Lernęæ affectus hydræ, flammęque tumentis
Jrę, lætitiæ fluctus, tabumque doloris:
Promptius vnde viâ nunc consuetudinis itur
In pravum, cunctique bonum non sponte capessunt.
Hortus odoratis qui fit cultissimus herbis?

Segnis ager, passusque situ durescere longo
Dat tribulos, dat sponte rubos, lappasque, cicutas
Terræ damna, Deus postquam maledixerit agris:
Stercore fæcundus, fimi & lætamine campus
Senserit incurvi sulcans qui pondus aratri,
Sarturam rastri, durique in marte laboris
Sudantem agricolam, nocuas qui sedulus herbas
Extirpet, sulcisque immittat semina longis,
Luxurians frumenta dabit cum fænore læto,
Candida consurgent fulvis hærentia virgis
Lilia, spirantesque rosæ, crocus aureus, herba,
Thuris odorati, laurus *Phœbæa* amaranthus
Et violę omne genus, myrtus conjuncta hyacintho,
Quosque novant anni vernantia tempora flores:
Naturam per se pravam cultura refingit.
Ingenium puerile colat quicunque, *Platonem*
Audiat infanti prohibentem dicere nugas,
Polliculus quantillus vt, & *Gargantua* quantus;
Nuda salis, tantum sterilis figmenta cerebri.
Testa recens primo fuerit quo imbuta sapore
Illius in multum servabit tempus odorem:
Cerea perfacile est puerorum tempora, partus
Fingere sub primos, habilemque dedisse figuram;
Lædantur vi forte aliquâ si mollia, servant
Hoc vitium, doleat quod forte & cana senectus:
Varus cur reptat pedibus, vatiusque retortis
Claudicat? asperior torsit quod mollia tactus
Crura, nocet pueris male cauta ita cura tenellis:
Num cura est vitio vitium superaddere, stultis

Stultitiam, caruisse quibus sapientia prima est.
Sors inimica animis est assentatio, mentem
Deliciæ perdunt molles; si filius vnus,
Filia vel fuerit communis gaudia lecti,
Pupillo indulgent materque paterque tenello,
Cuncta licent turbas domui, famulisque ciere,
Mendaces mammæque tatæque dedisse quærelas
Devovisse patrem, matrisque spuisse per ora,
Numinis & vane nomen sumpsisse potentis.
O cæcas hominum mentes! quę insania! natûm
Quodve odiũ! in pravos cupiunt quos tollere mores;
Ardua quâ poterit ratione cacumina laudis
Virtutisq; jugum celsę superare, negatum
Cui nihil, & nullo sensit qui tempore durum,
Sollicita exsiccat cui flenti mater ocellos
Postea sed lachrymis genetrix sua lumina fœdat
Invitis, filî quando vltima fata ruentis
Conspicit, in vacuos effundens murmura ventos
Non profecturis corrumpit fletibus ora:
Mater erat felix vno cum conjuge nato,
Cujus spe lactans animum, sublimia mente
Concepit, magnique loci, sortisque futurum
Non tantum & totas recturum numine gentes:
Ille miser (cunctos sic fert natura) paternos
Furari incepit nummos, & condere furto,
Gypsatæ quodcunque manus tetigere, remisit
Blanda parens noxas, arridens tangere palpo
Gaudebat, pravam in prima lanugine vitam
Sperans rugosâ meliorem fronte futuram,

Si quando prudens genitor concidere ſectis
Verberibus voluit, vitiumque expellere furti,
Accurrit plorans mater, gremioq; latentem
Occuluit natum (adjuvit quę ſępe paternos
Contemptus, prolem ſpretiſque parentibus arſit)
Ille reus furti factus, mortique cruentæ
Addictus trabis infandæ, jam tempora velo
Indutus niveo, ſcalarum a fronte, dolentem
Adduci juſſit matrem, cui (baſia fingens)
Suſtinuit ſævo naſum perſcindere dente
Flebilibuſque modis ora indignantia ſolvit,
Fœmina (ne dicam matrem) præcordia ferro
Vincta, feris ferior, Medæa ſævior ipſâ
Quid de te merui natus, ſis vnica mortis
Cauſa, caputque meæ, fruſtra mens ſtulta doloris
Eſt furijs agitata, (inconſolabile vulnus)!
Quam ſatius doluiſſe prius; vitijque nefandi
Principijs pugnaſſe, fuerunt temporis anni
Quum faciles, foret & quando emendabilis ætas,
Pœna, dolor, juſta eſt injuſti (mater) amoris.
Prudentes faciant aliena pericula matres,
Parcius vt plaudant natis, corrumpere ceſſent,
Morbus amicitiæ aſſentatio, peſſima morum
Pernicies, animiq; lues, mœrorque parentis.
Corpora producant patres ſenſuq; animâq;
Prędita, nervorum ſtrictâ compagine firma,
Queis diſtenta tument craſſæ pinguedine carnis
Crura, caput ternis ſurſumq; attollitur vlnis,
Verum animi & mentis non gignant dona, paternæ

Traduce non veniunt dotes, ſed crimina, mores
Diſtorti, improbitas, atque ignorantia veri:
Quot patres miſerè ignorant ſe, reſque, deumque,
Terra quibus lævis, nullâque ex parte rotunda
Sydera, qui jurent cœlum contingere terram
Cardinibus mundi, ſpatij ſolemque pedalis
Eſſe ajant, cœlo videant ſtellaſque cadentes,
Arcadicum pecus! a lævâ queis parte mamillæ
Nil ſalit, ignavi miſerande ſortis aſelli.
Inficiat natos vitæ contagio patris,
Ebrius hic vini merſit qui in pocula mentem,
Cuique natant oculi vino, cui ſtantque labantque
Genua, pedes titubant, & quicquid lumina cernunt
Hoc geminum, duplexque putant, vbi veſpere ſero
Venerit ad proprios, vel multa nocte, penates,
Quot facit vxori ludos, quot turpia natis
Exponit diſcenda, deum, mare, ſydera jurat
Infernumque Iovem, ſtimulat mox jurgia vinum
Clamoſaſque movet lites & prœlia linguæ,
Forcipe tum valido confringit tempora conjunx
Demulcens calone caput, Jovis arripit iras:
Æmulus attentas cunctis puer arrigit aures
Et probri, pravique tenax, maturior annis
Factus, ad ætatem vini, vitijque capacem
Quum venit, cunctas diſcet peragrare tabernas.
Et totos vacuare cados, vrgere ſalutis
Pocula, non regis, reginæ, at turpis amicæ,
Ductat ſcorta, nothos gignit, nummoſque paternos
Dilapidat, totus grecatur nomine Bacchi,

In-

Insignis, mox crura juvans incurva bacillo
Hæc miseros doceant patrum pars maxima natos,
Quin vetulam cædet matrem, post pocula sagam
Dicat, & in luctu faciet tabescere canos
Quam satius mandasse probis, doctisque magistris
Arte vagam variâ moderentur quique juventam,
Edoceant mores, sophiæ splendore, tenebras
Depellant animi: (cunctis nonnulla supersunt
Semina divinæ lucis, rectique bonique
Relliquię, omnigenûm pulchra indagatio rerum
Unde fluat, vitæque modus, virtutis amorque,
Tanta est æterni clementia mitis Jövæ!
Ars tamen hęc sordet, projectâ vilior algâ
Est virtus, lususque putant gens impia ludos
Si dives, rerum cui cornucopia, crassus
Vel Cręsus nummis & multo splendidus auro,
Proderit ignavi quid vana scientia ludi
(Dicet) opes nato dabimus, vel jugera terrę
Tercentum, patriis posthac quæ vertat aratris,
Æs dabimus fulvum, positosque in fœnore nummos,
Otia nulla scholæ sectabitur: inscia mater
Gaudebit natum gremio jam tollere, lactans
Blanditiis, mollique fovens sub pectoris vmbrâ:
Ætatis sed flore vigens atque integer ævi
Jlle, canem sequitur, vel spectat in aere milvum,
Vel cædes narrat leporum, prædasque volucrum
Quot pateras hausit spumantes, nocte puellas
Stupravit quot vulgares, mercabilis ęre
Fornice quo lateat meretrix, obscœnaque cantat
Car-

Carmina, & Atellæ quodcunque ex tempore natum
Obvius irato factus si forte *Catoni* est,
Triste supercilium cui vultus, fronsque severa
Nescit quid dicat, faciat, quo lumina jactet
Quam fluido stupet ore! velut quum viderit agnus
Terribilem, rictu rugientem immane, leonem,
Mutior est quovis delphino, *Hispania*, quæras,
Gallia vel fuerint quot longæ aut jugera latæ,
Quo terræ jaceant tractu, quo limite, cœli
Quâ Zonâ; tacet, atque Hudii figmenta recensens
Narrabit Belique artem Clughique Clementis,
Cuncti illum stricto gaudent suspendere naso.
Quumque minor virtus non sit jam parta tueri
Quam parere, ignarus vitæ, virtutis & artis,
Sæpe patris magna hic hęredia perdidit hæres.
Cura nec est patri fratrum, natuque minorum
Nulla quibus res est, nec opes quas flagitat vsus,
Non tamen in ludos mittit, ne solveret assem,
Mancipiumque velit potius quam solvere vilis
Mancipij precium; stabit pincerna paratus
Ad Dominę nutus, dextrâque ex, amphora pendet,
Detrahet aut Domino soccos, ocreasque madentes,
Sub *Graio* sequiturve hostilia castra *Bohemi*,
Dani vel *Sueci:* qui quamvis acer in armis,
Totus in arma furit, tentatque pericula belli,
Non tamen huic dantur dubij moderamina martis,
Solvere quod nequeat cuneos, stabilire phalangas
Obliquas posuisse alas, aciemque dedisse
Ambiguam, frontis seriesque resölvere densas

Quod nisi præclarâ Sophiæ non discitur arte
Quingentas dederitque minas materve paterve
Sutori; doctis qui quam studuisse Camœnis
Tutius esse putant siccato tergore fœda
Atramenta spuisse ore, & transfigere gallam
Aut sensisse manus callum, lassasse securi
Brachia, dentatâ perscindere robora serrâ.
Alter egenus habet quo vix bene farciat alvum,
Nedum mercedem solvat, vel munera donet,
Ergo scholis natum nequeat committere doctis.
Ingenijs fæcunda bonis est *Scotia*, cœli
Temperies felix, & solis amica cerebris
Est virtus, doctos jactabit *Gallia Scotos*,
Militiâ insignes *Germania*, *Scotia* norit
Versutos experta suo persæpe periclo,
Ingenio sed dura bono comes hæret egestas
Res angusta domi si sit, nec larga peculî
Copia, vt & meritis nequeat condigna magistris
Appendi merces, (heu res deflenda!) beatę
Indolis est patienda situ durescere longo
Temperies, curvi capiet tunc cornua aratri,
Sollicitus victu quærendo exscindere terram
Cogetur: conservat oves hic, ille bubulcus,
Ægopolus glomerantis equi vel gressibus instat:
Dives habet quod persolvat, sed discere nolit,
Discere vult pauper, nec habet quod solvere possit,
Ostendetque scholam vix *Scotia* tota frequentem.
Scotia habet passim jam phrontisteria largis
Sumptibus ędificata, piis sacrata camœnis;

Sunt

Sunt quibus incumbat tantæ provincia curæ,
Ut doceant sophiæ mysteria, sacra recludant
Biblia, qui medicę sublimia dogmata cuivis
Discutiant artis, sunt qui fundamina legum
Sollicita enodent, modo digna salaria dentur:
Umbris maiorum date diî sine pondere terram
Spirantesque crocos & in vrnâ perpetuum ver,
Qui Præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. Comitem & custodem impubis Iûli
Æpitidem dedit *Æneas*, Chironis alumnus
AEacides, Phœbo pulchrâque Coronide natus,
Rex Macedúm belli datus obses sæpe *P*hilippus
Sub Samio multum tunc profecisse magistro
Fertur, Aristotelis sublimia dogmata magnus
Legit *Alexander*: doctæ Lacedæmonis Iren
Pręceptor, docuit lignari hos, quærere furto
Sarmenta hos, (cui furta nefas committere nullum,
Deprêndi at facto;) pueris sic callida nasci
Credidit ingenia ad facinus prudentia magnum,
Psallere, cantare, ac modulari vocibus æquis,
Ponere & argutos gryphos, solvisse repente
Instituit, facere & doctæ compendia linguæ,
Sin aliter pressos sensisse in pollice dentes.
Nec teneros cuivis tutum committere natos:
Cereus in vitium flecti puer, omnia discet
Quæ videt, & pravum si mens ægrota magistrum
Ceperit, in peius vergit; pravique bonique est
AEmula mens hominum: si vita & lingua magistri
(*Poto magis potum doceat*) fit tempore parvo

Diſcipulus verbi (potoq; biboq;) peritus.
Magna magiſtellis hominum pars pignora credunt
Indoctis, qui ſunt nec re nec nomine noti,
Dedecus ingenij, maculæ labeſque ſcholarum,
Doctiloquę jumenta deę, fæx infima fæcis,
Tercentas habet ille minas vel pondo quotannis
Prima elementa docens doctrinæ, tota ſalutat
Plebs noſtrum magnâ vocis gravitate magiſtrum
Virgilium exponens (*Ripheus* iuſtiſſimus vnus)
Qui fuit in Teucris & ſervantiſſimus æqui)
Inquit (equi *Ripheus* ſervator & vnus agaſo
Qui fuit in Teucris iuſtiſſimus) O ſale mentem
Conditam quanto! græcum ſi calleat alpha,
Vel beta hic proferre, quibus non audeat illa
Obiicere, & paucis obtundere vocibus aures
Carmina ſi quando condat, fit gallus & omnem
Accentum mutat, nec non pater Ennius ipſe eſt
Iſocratis, quæras, quę ſit ſententia Volfi
Oſtendenda prius *Romani* verſio, nullus
Græcorum eſt vſus librorum attentior, inquit,
Iure Crates turrim ſummæ conſcenderet arcis
Sublatâ ſic voce ferens, quæ inſania (cives)
Vos cœpit quæ *Tiſiphone*, tortique colubri
Veſtras exagitant mentes, in viſcera talpę
Defoditis terræ, fulvumque exquiritis aurum;
Non prohibent venti ventis dare vela, mariſque
Sidentis fluctus, terretve tumentis hiatus
Merce rates onerare novâ, quæ nata fluentum
Trans Tyberis, fulvi ad natos quâ pondo metalli
Quæ

Quæritis, & nummos; natorum at cura parentes
Nulla tenet, modo divitiis stirps affluat, vltra
Nil curæ est, cunctos quamvis sapientia micæ
Nulla ornet, mentisq; inopes, cerebroq, carentes:
Vt si quis soleam conservet, negligat autem
Ipse pedem, quis non cæco insanire furore
Hunc dicat, furiisque actum, Bacchique latenter
Percussum *Thyrso*, totis ardere medullis.
Læta cui gravitas, cui mens animusque severus
Vitæ labe carens, vitio nec notior vllo,
Artibus insignis, quem non *Romana* venustas
Argolicę latuit quem non elegantia lingue,
Prudens, doctorum non vltima fama virorum
Quem non ira gravis stimulat, clementia quem non
Blanda nimis perdit, (stupor hęc, furor illa putatur)
Sed blando tristis, tristique affabilis ore,
Tempora qui norit, varias rerumque locique
Jngeniique vices puerorum, seque, deumque;
Huic tuto credas natum, quicunque docendum.
Ira furor mentis vecordia pectora fecit
Prudentis, canos & delirare capillos;
Insanire facit sanos, pietatis, amoris,
Candorisque odium cuncti, fons, vena malorum est,
Hæc est *Tysiphone* tortis armata capillis
Sanguineas stimulans cædes, & triste duellum,
Dira Megęra faces pręfert, tædasque doloris,
Exanimans cuicunque manus iniecit acerbas
Hęc dira Alecto, quæ reddit inani a voci
Ora hominum, sævo quos vultus lumine terret
Hunc

Hinc rixæ, bellum, pugnæ, discordia fratrum:
Crudelem fecit matrem, crudumque parentem
Et Præceptorem injustum, qui sæpè beatas
Perdidit iniusto puerorum verbere mentes,
Sunt pueri quibus est concussi verberis vmbra
Pœna gravis, queis effinxit præcordia Titan
E potiore luto; sunt queis vix verbera secti
Tergoris, incutiant pœnarum odiumque metumque.
Nobilis ibit equus nullis calcaribus actus,
Sed iumenta petunt stimulos, virgasque sonoras.
Insipiens maculat generosi verbere costas
Quisquis equi, fractisque fodit calcaribus armos,
Nec minus, ignavum verbo qui flectere asellum
Se putet, & nullis non personuisse flagellis:
Sævitia est clemens, clementia sæva magistris
Observanda, merum mixtum fluvialibus vndis
Unda placet commixta mero, cum frigore iuncta
AEstas, temperiem frigus cum æstate creabunt.
Singula quæq, nocent simul hæc commixta iuvabunt
Maternæ facti linguę, vocisque periti,
Scribere & in variis voces posuisse lituris
Discant, non foliis tenerę nec cortice cedri,
Sed chartâ, quam gnara manus de stamine panni
Conficit attrito, tuditis conamine magni:
Conservat scriptura artem, sophiæque ministra est
Grammaticam docti, ornatè legesque loquendi,
Annales rerumque legant, discantque poetas
Expoliunt mentem ingenuâ ratione, priorum
Commonstrant exempla virum, heroumque labores

Depinget mores hominum iuvenumque ſenumque
Comica debetur cui palma *Terentius*, omnes.
Sollicitus quantum Simo pietate parentis
Corrigere errantem natum, quam *Pamphilus* ægro
Sęvus amore, Davus quam fallax, Demea durus,
Vanus & Euganeâ *Thraſo* quam mollior agna,
Mitio manſuetus; ſpeculum tu conſule, vultum
Certius haud poteris, hinc quam diſcernere mentes:
Pellæum quis non iuvenem gauderet in ipſa
Cernere cernentem pugnâ, Perſamque Darium
Sublimem curru ex gemmis auroque vehentem,
Mox galeę e rimis lutulentum haurire liquorem,
Hoſte triumphato Decios, Marioſque, Camillos
Jnſignes, Xerxis denſas variaſq; phalangas,
Hectora terribilem criſtis, coſtiſq; tumentem,
Jnſtar & innũmeri certantem militis unum,
Æmonii mox quadrupedis veſtigia paſſim
Sanguine conſperſo maculantem, fulmen Achivũm
Æaciden celſæ quatientem mœnia *Troje*,
Extinctum Paridiſque dolis diràque ſagitta,
Non hæc vt cernas, manes exire ſepulchris
Horrendos facias, ſpecies nec dæmona falſas
Jnduere in circi medio, ſub limite calcis,
Conſule librorum ſpeculum, Curtîque volumen
Succinctum, Criſpi nec non compendia docti
Annales Siculi, Livîque volumina magni.
Tullius eloquii pater eſt, legumque togęque
Patronus, patriæque pater, virtutis amorque,
Nocturnâ verſetque manu, verſetque diurna

Huncpuer, vt fari discat sermone diserto
Sensa animi, mentesque regens & pectora mulcens
Quem *Cicero* sacer elysiis miretur in agris
Laurea concedet linguę, splendentia longæ
Cedant arma togæ, vicit facundus *Vlysses*
Aiacem clypei dominum septemplicis, oris
Vultus tollentem torvos, cunctisq; minantem
Sufficiat verbis nec disseruisse solutis,
Carminis at stricti modulari nexibus æquis:
Emollit metrum mentes fæcundaq; reddit
Pectora conceptus alti, solamen & vnum
Ingenii tristis, duræque remissio curæ est,
Sylvestres ducens homines, fluviosq; ferasq;
Plutonis vincens animos, tria colla trifaucis
Infernæ canis, armatus nec lumine multo
Effugere hoc poterat custos *Iunonius*, argus.
Quid mage divinum est augusto carmine vatum:
Mentis opus motæ est, niveo quod splendet amictum
Candore, & gemmis auro & pretiosius vllis,
Æstus habet tantum quæ purgamenta marinus,
Carmen at ingenii fætum mentisque serenæ,
Numen amat, seseque coli vult carmine sacro,
Hinc Psaltes sacri commisit pectoris hymnos
Nexibus eloquii vocalis, cantica versu
Eduntur modulata pio, sic languida tristis
Pectora concinno solvit sua murmure Jobus;
Quin tamen hoc miseri contemnunt, nescia fato
Quo, nisi quod nusquam superasse cacumina montis
Parnassi, fontesque datum exhausisse canoros

Utq;

Utq; febris quem dira tenet, quod dulce sapore est,
Jnsipidus, morboque exsensus jurat amarum,
Sic musas, vatesque illi vocitare prosanos
Audent, & doctas vitijs lacerare Camœnas.
Hic tressis si scurra, bibax, furtivus adulter
Pergręcetur, amans scortum, vilemque tabernæ
Cauponam, nudos vini post pocula versus
Condat, & obscœnę narret meretricis amores
Jnfandos, turpesque silenti in nocte susurros,
Fescennina velut fari, sit fundere divos
Castalidum latices, & amantes enthea musas,
Ignavum vulgus quos non damnare poetas
Audet cerritos? & quo non crimine dignos?
Cæcus amat cæcos, orbemq; hunc luminis orbum
Esse velit, miseros miser optat, & Irus egentes,
Iupiter humanæ quanta est discordia mentis!
Munera cuique Deus tribuit sua pondere certo,
Omnia sed nulli, cur indignare negata
Dona tibi, concessa aliis, ferresne moleste,
Te volucrum pennis, pinnisque carere natantûm.
Ergo Deus quęcunque dedit, mirare libenter,
Jnvidisse bonis noli, nil justius hâc est
Invidiâ, authorem quæ perdit criminis ipsum
Nec satis est legisse, altâ sed mente repostum
Doctrinæ servasse penus, rerumque thesauros,
Et vocum, varios quæ post promantur in vsus,
Mnemosyne mater musarum est, intima cæci
Occipitis servans penetralia, sola fluentes
Instar aquæ, revocans annos: reparabile tempus

Temporis & lapſi faciens memorabile geſtum
  Vidimus in primis vel quæ levioribus annis
Legimus, innumeros multo diſcrimine rerum
Conceptus, condit loculis; mentique miniſtrat
Singula poſcenti, ſpecies deprompta receptæ
Non nocet, ingrediens non impedit egredientem,
Qualis apes æſtate novâ conſortia mellis
Tecta refingentes naturę dirigit ordo.
Sedem habet in molli partim, partimque cerebro
Præduro, quod cera velut ſignata reſervet
Stigmata, moxque novas patiatur molle figuras,
Deſidiam hæc exoſa ſitus rubigine torpet,
Impatiens Veneris nimię, nimiique lyæi,
Sæpe colendo viget, grati patienſque laboris,
Lucis amans primæ eſt, medioque inimica diei,
Pervigil in plumis, nonnunquam fallere noctem
Conſuevit longam, primi poſt tempora ſomni:
Utque athleta gravi vibrabit plumbea dextrâ
Pondera, quo melius vacuam ſine pondere vibret
Mnemoſyne graviore colendi exercita curâ
Promptior ad ſenſus leviores redditur actus.
  Non dapibus lædenda, petit nec fercula fartæ
Hæc adipis, parcum, cunctiſque parabile victus
Expoſcit genus, exoptant quot funera matres
Defunctis nondum natis, pinguedine carnis,
Tot morbos patiuntur, edit ſic pectora tabum:
Splendida ſi menſis prandî appoſuere parentes
Fercula, ſi cœna appoſita eſt adipalis amicis,
Carnivori totos orbes, quadraſque, patellas

Prædantur, gallinæ artus, gallique lacertos,
Ridiculi totas simul absorbentque placentas,
Artocreasque, sapit docto quodcunque palato.
Jnde vbi vix portent distenti pondera ventris,
Mollibus in lecti plumis, stratisque locandi:
Noxius ascendens halitus, fœtorque cerebrum
Jnficit ex stomacho, viresque in pectore perdit,
Mnemosynes hebetans aciem, conamina pulsus
Debilitans, nervos enervat corporis omnes:
Hinc scrophulæ in collo, totumq; per vlcera corpus
Mors inopina diem prævertens, funus acerbum;
Quid juvit pueros atagen, quidque afra volucris
Quid Rhombi, conchylia quid lucrina, scarique;
Grata alvo potior pueris est malva, fabarum
Puls, lapathi levis herba, & cocti pocula juris.
Debeat hæc mentis recolendi abstrusa facultas
Gratior esse, gravi, quam quæ mergatur in alvo:
Persarum regem, pontique hæc laudibus auxit,
Gentibus hic senis quater, ac interprete nullo,
Jura dedit; cunctos numerosi ille agminis vnus
Nomine compellans proprio, tot millia in vno
Continuit capitis cerebro, quid dicere *Crassum*
Quid *Senecam* juvat? hos nostras *Chrichtonius* omnes
Vicit, qui ad verbum quęcunque audita referret,
Jntegrosque logos, & mille ex tempore versus.
Hæc consulturo de rebus grata, futura
Præteritis dudum componens, lapsa futuris.
Ingenii si prima acies hebes, aspera mentis

Si cultura; feras pueronon ergo Minervam
Jnvitam, iratumque Jovem, triſteſque Camænas:
Fit rude, quodcunque in teneris enaſcitur annis,
Naturæ, ſive artis opus ſit, vertice lympha
Declivi jam diſtillans, mox flumine terras
Verrit in immenſum, procera in montibus ornus
Virga fuit, ſegetes ſemen, chaos & rude mundus:
Mane, puer prono projectas corpore palmas
Quadrupedis de more trahens, in pulvere reptat;
Solis vbi medii venerunt tempora, rectus
Stabit & erectos extollet ad æthera vultus:
Sic Deus & rerum ſapiens natura, creata
Inſtanti, gradibus ſed perficienda putavit.
Græcorum varias dialectos diſcat, Hebræûm
Doctrinę fœtos libros, his myſtica rerum
Eloquiumque Dei creduntur, copia Græcis
Verborum, ſeries rerum, facundia linguę,
Romanis decus eloquii, doctique lepores.
Artibus his pulchrè inſtructus puer omnibus, ipſum
Sæpe Stagiritam legat, hic fons vnus aquarum
Unde fluunt rivique & longi flumina tractus,
Hinc ſophiam exhaurire licet, quæ maxima virtus
Eſt animę, vitæ jucundum, vitæ & honeſtum,
Utile, quæ lapſam inſtaurabit origine mentem:
Humanæ partes animę tres; prima potentis
Eſt expers rationis, habent animantia cuncta
Communem hanc, homineſq; feræq; & reptile quic-
Corpus alit virtute ſua, vitamque tuetur, quid)

Nocte viget,mollem admittunt quum cætera somnũ
Pars cognata polo (quondam genitoris imago
Nunc miseris (miserum!) erroris submersa tenebris)
Mens,rationis habet primumque hæc luminis omnis
Principium,Cœlos scandens & Tartara lustrans,
Has inter medio fertur discrimine, mentis
Imperio quæ vel paret, vel jussa repellit
Cuncta boni affectans aliquâ sub imagine veri
Persequitur, specieve mali aversatur & odit,
Quid poterunt animi, sophiæ sine munere, dotes:
Crescat in immensum quamvis, non sydera tanget,
Jnque asinum viget & corpus sine pectore gestat,
Cum talpis fodit in terram, sine lumine Solis,
Seque alios nescit, non visus mille periclis
Noxius, indomitâ sylvæ cum tigride rancat,
Frendet agrestis aper, sus grunnit,& vncat asellus,
Estque feris ferior, teneris vel mollior agnis:
Viribus humanis non quæ natura negavit,
Acer, & intentis oculis ea pectoris hausit,
Crescentis miser ignorat primordia mundi,
Quid Deus, vnde nives, quæ fulminis extat origo,
Obscuros terrę motus, quâ lege morantur
Sydera, & accelerant; non terræ ac æquoris oras
Describit, caput aut cœli inter sydera condit;
Pondus iners terræ, infirmus fit mente manuque,
Non ventis dare vela audet, maris inscius: orbem
Visere longinquum nescit, ventosque, polumque
Ignorans: digitos numerare & ineptus, ab Jndis
Non merces portare potest, non vendere: miles
 Lixa

Lixa nisi, fuerit nunquam; cui missio fiat
Sanguini, & multo maculentur verbere costæ;
Non dux, optio, præco, tribunus, signifer anteit.
Pallidulus ne textor erit, non sartor & omnes
Proteus ad formas: non sutor: cerdo: colonus,
Tempora quum nescit, partesque volubilis anni:
Quid? fatuus sacris soleat qui ludere festis,
Jlignum portet brachio qui sedulus ensem,
Esto: & qui in cunctos opprobria jactet amicos,
Cuique cavo tinnit resonabilis ære cucullus.
Tantum homini est sophiæ studio, virtutis amori
Intentum, doctis sophię macrescere libris.
Est modus at rebus, certosque scientia fines
Hæc habet, hoc studium metis, certisque tenendum
Cancellis: nimium quicquid, deforme, nefandum
Est scelus, in medio recti stat limite virtus:
Jn studio servanda, vices, & tempora; sera
Lectio fit damnosa viro, vitiatque calorem
Corporis & stomachi, vires, alimentaque perdit,
Intempestivi hinc cani, mors cruda, dolores
Jnnumeri, cephalæa, angina, cachexia, febris:
Hinc furor, insanæ nec non diliria mentis,
Hinc miser Orbilius doctrinæ oblivio, quondam
Nominis oblitus proprij; Corvinus & ipsum
Messala nescivit. Cupiunt alterna Camœnę.
Lusibus assuescant nonnullum perdere tempus,
Flectere cornipedem gyro, lusisse datatim
Harpasto, longâque pilam propellere clavâ,
Et grandire gradus, rapido contendere cursu,

Ingeminare melos, numeros intendere nervis:
Scacchia non curæ fit blanda remissio, vexat
Quin cerebrum; studij, non lusus nomine digna.
Plistobolinda nocet pueris, jactusque fritilli
Dissolvunt animos & pectora inertia reddunt.
Principia edocti rerum, motusque vicesque,
Iamque creaturas postquam terræque polique
Et maris innumeras lustrarint, molis inane
Ut nihil in gremio mundanæ, vt corpora sursum
A centro levitate abeant, gravitate cadantque
Terra mari subnixa globum fingentia eundem
Ut sidant, aer, ignis sine pondere scandant;
Corpora mista suos nec non subeuntia motus,
Prosiliantque, feri ruptis vt nubibus ignes,
Hinc stellæ cœlo volitantes inde cadentes:
Aeris vt densi speculo resplendeat Jris.
Grandinis, atque nivis, pluviæ, rorisque cohortes
Singula vt intereant, oriantur singula rursum,
Utque animæ internæ dotes, vt corporis artus,
Articuli, stetque vt mortalis fabrica trunci;
Cernere non tantum, cunctorum expendere causas
Quum poterint: quanti species variasque figuras,
Mensurare, orbis metas, molimina mundi
Inter vtramque domum Solis, zenithque nadirque,
Antipodasque, Antœcos, affines Periœcos.
Astrorum aspectus varios, motusque locales,
Ortus, occasus: Solis Lunæque labores,
Vertentis menses anni, noctesque diesque,
Hinc horas, horæ quartasque, minuta, secunda.

Inde Creatorem discant; qui trinus & vnus,
Omnipotens, cœlum immensũ (quod nescio) lustrat
Cũcta replens, cũcta amplectẽs, perq, omnia præsens
Ex nihilo rerum formator, numine magnum
Qui vegetat mundum, dextrâ propriumq; potente
Servat opus, pereat, fixo-ne aut limite aberret.
Angelicę parent turmæ, pinnosa profundi
Aeris & pennosa, hominum pecudumque propago,
Reptilium genus omne, vdo quæ in cespite florent.
Qui duxit genus e Stygiis mortale tenebris,
Factus homo-deus in nostris qui habitaverat oris
Nubivagos alto molitus ab æthere gressus
Sufficit & tristi vires, spirabile numen,
Anchora sacra piis, qui consolatur in arctis
Spiritus, in terris cœlique est arrha micantis.
Quæ facies, quæve ora Dei non cernere possunt
Mortales, superant nostras cœlestia vires;
Sed quum summa dies venit, tellure resurgent
Corpora quum ruptâ, resonabunt nubibus altis
Clangentes hinc inde tubæ, tunc cernere vultus
Ætherios, habitusque licebit, valle sedebit
Quum iudex, justâ decernens omnia lance.
O vtinam dextrâ liceat sedisse Tonantis
Angelicos inter cuneos, examina patrum
Sanctorum, pæana Deo Christoque canentem.

FINIS.

¶:

AD CLARISSIMVM ET

ORNATISSIMVM DOMINVM,
M.T. HOPÆVM à *Craighall*, alterum regis *Advocatum, Regi à Consiliis sanctioribus* & Scaccario, Mæcenatem.

Sacrificasse Deo natum cur fertur Abramus?
Nec tamen effusi gutta cruoris erat?
Cur nisi quod numen, factum voluisse putabat
Esse satis, mentis quod volet obsequium.
Accipe sic (Domine) hoc votum, placuisse studebam,
Sin minus hoc feci, sit voluisse satis.

Ad eundem.

Sacrificasse Deo natum spes fecit Abramum,
Spes eadem sacrum scribere me voluit.

Tibi addictissimus
R. Fairlius.

NATALES,
&
ARAE ISACI.

ÆTheriâ Pater arce ſedens, deſpexerat orbem
Deſuper, intentis mundi in penetralia limis;
(Nulla licet vaſtę, ſubſidit crypſis abyſſi
In medium, reſilitve omni ſuper orbe receſſus
A medio, humanos fugiunt quę diſſita ſenſus,
Quo non diva ſuo pertingant lumina viſu)
Dumque acie mentes ſcrutatur & ima ſuorum
Corda, pii vidit conſtantia pectora *Abrami*,
Quanta foret ſine labe fides, vis quanta timoris
Condita divini lateat, quam immenſa favillis
Eruta, mira ſpei flagrent incendia, quantis
Entheus & flammis arderet numinis ardor:
Illius vtque alii exemplo pietatis eandem
Suſpirent remo, veloque attingere metam,
(AEmulus alterius namq; eſt homo, vitaque noſtros
Nunc aliena fovet mores, ſi recta reformat,
Improba ſed faciles parili nos crimine fœdat
Humanæ poſſunt tantum exemplaria vitæ)
Hinc Deus *Abramum* ſtatuit proponere mundo
Exemplare ſui cultus, vt cerneret orbis
Quanta piis dederit, vel quâ ratione periclum
Exigat hîc fidei, proprij quo numinis ardor
Relligioque magis communis, clarius aſtris
Splendeat, & totas terræ pertranſeat oras

A-

Abramus Mamræ in campo conſederat ante
Oſtia tentorî, ac alterno lumine luſtrans
Mitia rura ſoli, & ſublimia culmina Olympi
Conſpexit tres forte pari contendere greſſu
Humanâ indutos ſpecie, qui ſiſtere ſeſe
Utprimum cępere viri, divina refulſit
Effigies, vultuſque ſimul portendere viſu,
Magnum aliquid, gratos *Iſaci* ſcilicet ortus
Grandævo narrare patri demiſſus ab alto
Nuncius auguſtus; queis aſſurrexit *Abramus*
Obvius occurrens, & genua relapſus ad ima
Sic fatur. Quę veſtra (viri) ſit gentis origo
Me latet, aut quibus a terris has tangitis oras;
Si non in noſtrum libeat divertere tectum
Mobile, & errantes hinc inde ſubire penates
At veſtrum (Domini) nolitis temnere ſervum,
Lympha pedes quin clara lavet, quin flumine puro
Abluero, viridique ſuper requieſcite fronde
Panis vt apportem fruſtum, veſtrique focillem
Defeſſas animi vires, conamine cœptam
Poſt meliore viam quæcunque ſit illa feretis
Nec mora ſupplicio parent precibuſque pudicis
Sternunt ſe lentos, citus ille recondita viſit
Tentorî, *Saramque* jubet ſata terna parare,
Dipſiticamque ſimul ſimilæ pinſare farinam
Ipſe armenta petit, vitulumque repente tenellum
Vberibus rapit a matris, butyrumque benignus
Lacque ſimul niveum menſis comedenda reponit,
Apparitorque velut ſtans, vaſa & verba miniſtrat.

Hic

Hic cibus Hebræûm, tunc ſcitamenta priorum
Hæc fuerant, victus nullo cogentę creatus
Quamlibet & plenus fętum comprendere mundus
Vix poterat, gravido pinnoſâ gente profundo,
Aere pinnoſę gravitante propagine prolis,
Et mage fæcundæ fæta matrice parentis,
Nondum enim in internos mundi penetraverat artus
Diluvij ſalſedo, ſuper ſed ſtrinxerat orbis
Extima, longinquo nondum exſiccata calore,
Non maris immenſi vaſtarant ilia, matris
Viſcera nec gravidæ, gens ſerpentina ſecarat;
Occurriſſe lepus poterat per gramina tuto,
Nidificavit avis medio ſub culmine tecti
Ipſa ſibi, vidit parvoſque ſeneſcere pullos,
Tanta gulæ Hebræis fuerat moderatio ſanctis.
Illi epulis ſedarę famem his vndâque ciboq;
Corpora ſunt viſi recreare, potentia quamvis
Hæc renuat divina, fames quam nulla labantem
Conficit, ægra ſitis torquentve incendia ſiccæ,
Omina læta dabant Chriſti de carne futuri:
Quamlibet hic Deus, & rector terræque polique
Cui jubar, & gemini famulantur cardinis axes
Nubivagos facturus erat jam ex æthere greſſus,
Virginis vt repleat ventrem, de flamine ſancto
Sorte ſatus mirâ, poſt carne & veſte recinctus
Humanâ, humanos ſortitus corporę ſenſus,
Hanc coleret terræ faciem, mortalibus vna
Cum miſeris, hinc inde vagus, qui frigore denſo
Algeat, æſtivoque vacillet debilis æſtu

Ra-

Raderet esuries ventrem, sitis arida fauces
Verus homo Humani nihil abhorreret, iniqui
Labe carens solâ, peccato & liber ab omni.
Interea hospitij dominam Saramque requirunt,
Substiterat foribus tentorî, egressa nec inde
Spectabat suspensa, viri quæ forte referrent,
Quũ breviter deus haud constans deus esse, recenset:
Solibus O Mater veniet labentibus annus
Quum Pater æthereus stellatâ mittet ab arce
Cœlicolûm, beet effæti qui semina ventris
Obstructique licet senio tibi vincula rumpat:
Inde ferens vterum gaudebis nomine matris,
Abramum faciens perpulchrâ prole parentem,
Sara vacillantem tum tu malè pręscia mentem
Prodideras, risisse Deus te sensit & altum
Splene licet tacito, petulante dedisse cachinnum;
Non tibi quod raro pendebant vertice cani,
Quod frontis rugosa cutis, quod invtilis annis
Iam promittebat nullum tibi stemma maritus
Ergo tonantis erat temnenda Prophetia summi:
Ecce jubar vix inde novem transegerat orbis
Signa recurvati, humanus quo limite partus
Clauditur, & gravidum solvunt quæ tempora ventrẽ
Matricis sensit quum rupta repagula siccæ
Seque novæ fœtam vitæ, vagitibus aures
Jmpleri gratis: vix sensum lumina possunt
Ducere communem, nescit quę visa, videri,
Mens cumulo gaudî obstupuit perterrita tanto,
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant

Tentorí, juveneſque ſenes, & turba popelli,
Exhilarata ſuos geminarunt pectore plauſus,
Sperat anus ſe poſſe viro producere prolem,
Effætamque ſenex ſe pulchrè implere maritam.
  Interea vocat illa virum puerumque lacertis
Exponens patriis, ſublatâ talia fatur
Voce, pater fueras nec fruſtra ſemina ventri
Credideras *Hagaris*, quanquam de ſanguine natus
Iſmael, ancillâ fuerat niſi matre oriundus:
Advenit lux feſta, novam quâ lumina cernant
Exiluiſſe tibi noſtro de ſanguine prolem,
Munia teque novi pergrata ſubiſſe parentis,
Evax! jam felix dicar, jam nulla dolebo
Prꝫterea, ſunt grata adeo mihi tempora partus.
Quis neget a ſicco tacti quin fulmine colles
Producant ſegetes, quin multâ fronde vireſcat
Callis, arenoſo ducatur littore ſulcus
Et ſterili quamvis committite ſemina terræ
Nil deſperandum, Deus eſt qui temperet orbem.
Dixit, & in laudes divini numinis ora
Solverat, inde pater paſſis ad ſydera palmis
Talia voce refert, Tu qui molimina mundi
Fundaſti, & totum quantum eſt immane crearas
Ex nihilo, e tenebris lucem, divûmque hominumq;
O pater, extremæ jam qui infœcunda ſenectæ
Emenſus; vitæque brevis bis dena peregi
Luſtra, coronatos videam mihi prole labores.
Genua labant, nutant incurvi corporis artus
Præ ſenio, Florꝫ nequꝫam vt nec viſere campos

Nec montis superare jugum, quo cernère possim
Quanta creaturis largitus dona benignus,
Dimidiata poli patuit quà sphæra rotundi
Quot florum species variæ, jumenta quot herbis
Pascantur quot monte feræ, qui flumine pisces
Teque creatorem laudent vt cuncta potentem:
Ecce domi quibus oblecter mea gaudia sidunt,
Gaudia, quæ quamvis avido, mihi pectora amoris
Nectare sicca rigent vestri, nunc Hestia nostri
Tentorî stat fota tuis in sæcula flammis
Quid mundi mirer molem? quid semina rerum
Contempler nobis parvi nova machina cosmi
Ex cæcâ effæti ventris surrexit abysso.
Ô lux festa mihi pario signanda lapillo,
Quæ quum cursus equos sensisset noster anhelos
Et volucris pennis transiret vita citatis
Jllûxti! Tu cresce puer, tua (fascinus absit)
Syderibus cœli innumeris erit æmula proles.
Vagitus dedit ille rudes, nam limina mundi
Quum primum ingredimur, curę subeuntis imago
Pingitur irato in vultu, tunc flebile vocis
Murmur ab ore ruit tristi, ceu dira futuri
Omina sanciti naturę lege laboris:
Hæc rudis, arte carens, proprij sed præscia damni,
Vę bene quum nescit fari *va* sæpius edit,
Iamque diem jubar Eois ducebat ab oris
Octavum, stricto membri pater ense rescindit
Primorem carnem, cultro & præputia tollit,
Hæc Deus instituens externi fœdera signi.

Im-

Jmmunes signare velit nos sanguine Christi,
Et tutos fœdâ primorum labe parentum,
Si modo peccati patiamur vincula rumpi,
Natales toto & detergi corpore nęvos:
Si quis enim cancri vexatus vulnere, carne
Excesâ, & totos vix tutis ossibus artus
Consumptus, uirus morbi immedicabile sentit:
Ense recidendum est, ferro aut candente domandum
Mortiferi vt cesset serpens contagio tabi.
Inde velut quercus fluviorum consita ripis,
Agricolæ cui gnara manus conciderit vltro
Nascentes imo trunci de stipite ramos,
Accrevit; Dominumque suum, patremque beavit
Proventus spe ingente sui stirpisque futuræ.
Ecce autem nulli proprio stant fixa tenore
Gaudia mortali, quę non comitetur amarus
Mæror, & exactâ si quis ratione probarit,
Parva voluptatis res est, & guttula veræ
Lętitię. præ quam sunt diri immensa molesti,
Largior est fletus risu, nos machina flentes
Tollit, & enutrit lachrymis, spectacula prębens
Quotidie deflenda, dein quum ex carcere duri
Mæroris, mors grata animas dissolverit, ipsi
Ut sicci, flentes tamen exaudimus amicos:
Jam stetit in nato chari pia cura parentis,
Inque vices amor accrescens, hinc blanda voluptas,
Obsequium hinc erga charum proclive parentem.
Quum subito e cœli templis fragor exilit horridus
Et tonitru vestita ruit vox desuper alti

Numinis, *Abramo* mandati nuncia duri.
Aufuge cum nato, Moriæ pete ſedulus alta,
His ſuper *Iſacum* nobis (quem diligis vnum)
Offer, pelle moras, veſtrâ cadat hoſtia dextrâ
Filius, & ſtrictum veſtro nunc ſanguine ferrum
Tingito, monſtrati ſuper ardua culmina montis.
Nec mora, quum primum terras ſine temporis artu,
Jam lampas Phœbęa dedit fulgore coruſcas,
Cingitur, atque aſini quum fixit ephippia tergo,
Accelerat, ſerviſque ſimul pueroque recinctus.
Utque pecus quam imbelle, puer petit impiger aras
Inſcius ah lęto quamvis incumbere letum,
Atque vbi fatales Moriæ pervenit ad oras,
Emicuitque locus cædis, mens victa receſſit
Speq; metuque hærens, momento hinc indeq; parvo
Flamine ceu propulſa ratis, ſed flumine tarda
Pellitur, hinc illinc nutat, modo ſubter in vndas
Mergitur, antennæque madent, modo concita currit
Tarda modo ſiſtit, canus nihil arte magiſter
Profuerit, cunctique madent ſudore metuque;
Obſeſſus mœrore pater, ſic ducere mentem
Jpſe vacillantem neſcit, mactare tonanti
Spiritus hortatur, gratiſque id reddere cœlo,
Quod dederit gratis, caro ſed male ſuada retentat,
Tune tuo patriam patiaris ſanguine dextram
Fœdari, & tantæ te ſpem deperdere ſtirpis,
Eſt circumcidiſſe ſatis, ne cędere tentes:
Hæredi dabis hæcne tuo bona patria, vitæ
Exhæres ſit vt ipſe ſuę, num gaudia *Satæ*

Extinguas, canoſque illi in mœrore ſepulcro
Condas, heu facinus moliri avertere tantum,
Ingemuit, geminamque intus ſub pectore pugnam,
Senſit, quale ſolet morientibus intima mentis
Diſſidium turbare, feris mors horrida telis
Stans armata rapit vitam, conamine contra hæc
Nititur, amplexuque ſuis pro viribus hæret
Corporeo, miſer at æger diſrumpitur intus
Ilia, nec potis eſt altum ſufferre dolorem.
Incedit mœſtus quamvis, veſtigia ponit
Quælibet in bivio, ſtabile eſt nunc inde reverti
Conſilium, mox inde jugum pertingere montis
Eſt animus, non vna ſedet ſententia menti.
Ergo vbi pervenit divino numine ductus,
Et fidei curru ſuperare cacumina montis
Cœperat, vtque humeris ſarmenta reponere ſacris
Iſaci ſemet tulerat, puer inſcius (inquit)
Cerno pater ſaxum, ſacrum ſiet vnde requiro,
Quæ cadet incenſis, jam me fugit, hoſtia flammis.
Perge puer dabit hanc numen cœleſte, colendum
Se voluit, cultuſque dabit quæcunque requirit.
Vix ea fatus erat, puerique averſa videbat
Terga gradum properantis onuſq, heu triſte ferentis
Quum graviter gemitus imo de pectore ducens
Expleri mentem neſcit, ſuffunditur ori
Letalis pallorque ruborque & mille colores.
Maturare fugam cupiunt, ne, noſcier ipſis
Tanta mali poſſit facies, ſed carcere clauſa vt
Corporeo ſenſere, ſimul penetralia curſu

Con

Contendunt petere, hoc seseque avertere facto:
Taurus vti fratris gravidâ percussa securi
Tempora quum vidit, fugit horridus ore tonanti,
Exotnatque fugam pavidus, sed carcere clausus
Liber vbi latos nequeat percurrere campos,
Jn latebris sese condit revolutus in imis,
Cognato madidam videat ne sanguine terram.
O scelus horrendum exclamat, O dextra nefanda!
Sanguinis an nostri madefies sanguine, vitæ
An vitam extingues nostræ, quæ emensa remensus
Phœbe retro legito, tua lumina condito in vndis
Ne tantum dicare scelus vidisse, marinis:
Me miserum! matris gessitne hunc arida matrix
Fatale vt gestaret onus, num flamine vitæ
Spiravit, sævis spirent vt viscera flammis;
Jamne mihi nati Natura negarit amorem?
Nostra nec ingenuus percellat pectora motus?
Æquore quicquid agit pinnas, & mobile serpit,
Aera quod findit libratis æthere pennis,
Spiravit quodcunque almæ de semine matris,
Prognatam curant stirpem; discrimine vitæ
Sæpe suæ refovent, solvit quum flamina venti
Æolus, & nimbos immisit nubilus Auster,
Sub dio molli defendunt pectore fœtus.
Sic placitum; cunctis Naturę Orbisque creator
Hanc tribuit curam, mundi vt concordia constet,
AEternæ rerum speciesque propagine fultæ,
Nusquam dividuæ capiant discrimina sortis.
Quin ego quem propriâ regeret ratione creandi,

Mens humana, feris longê pietate ſecundus
Suſtineo nati violenrâ tollere dextrâ
Florentem primæ vitam ſub flore juventæ.
Jamque reluctantem furtim perduxit ad alta
Culmina, vis fidei, & divini numinis ardor,
Frons quæ mœſta prius nunc exhilarata renidet,
Quale nitet dium liquefacto lumine ſudum,
Præteritæ ſervat quòd vix veſtigia nubis.
Inſtruit hic aras, ſylvamqve dat inſuper omnem
Conſtringitque manus filî poſt terga revinctas.
Ecce aliud miſerum mage ſaucia pectora turbat
Abramo, teriturque recenti angore cicatrix.
(Ah) Puer exclamat (pater) ah ne verteris aures
Quid tuus *Iſacus*, quid te committere contra
Jam potui natus? quæ ſtat ſententia menti
Crudelis genitor? contra me ſtringere ferrum
Snſtineas-ne? tuâque animam hanc effundere dextrâ,
In quâ nunc tantæ ſpes tanta propaginis audit,
Quid de combuſto fiet niſi pulvis & vmbra,
Prætumidiſque ferar cœli ludibria ventis.
Magna equidem laus eſt, & præmia digna parente,
Innocuum patrijs natum cecidiſſe ſub armis:
Tu Deus immenſi ex nihilo Fabricator Olympi,
Vos æterni ignes & ſtellimicantia ſigna,
Me foribus ſacrum veſtris arcete recluſis,
Si patri æ ſtuduiſſe neci, ſtuduiſſe veneno
Tollere, vel vetulę molitum incommoda matris
Arguitis, veſtros fugiunt quæ & condita ocellos?
Abr am e (ah) dixiſſe patrem me diſpudet, vnum

Respice filiolum, nostro ne sanguine divas
Pollueris aras, gaudent simulacra cruore
Astaroth & Milcom humano, quæ numina nobis
Non dicenda, tibi hæc sed quid male grata revolvo,
Percute me ferro, collum mihi percute, mulxti
Quod sæpe, vt tandem mulctes, dehinc carmine fatum
Triste recenseto, & sœclis committe futuris
Præbuit Isaco Abramus vitamque necemque,
Innocuæque necis dederat causamque manumque
Inde pater gemitu fatur, non nate paternus
Est tibi causa viæ furor, aut tuus impius error;
Celsitonans, templo clarum fulgentis Olympi
Te statuet reducem, lætos vbi splendidus inter
Aligeros cœli primus statuare ministros,
Ne desponde animum, nec spe precor excide stirpis
Arripito ingentes animos & mente litato
Præsenti, Deus, ille Deus, qui ex pulvere finxit
Mortales, potis est busto de semine prolem
Efformare tibi innumeram, reminiscere divi
Numinis, & quamvis Phœnix comburere flammis
In cineres, tamen inde potens, atque æmula cœli
Luminibus, canisque, jacit quas *Hadria*, arenis
Nascetur proles, illis non tempora, metæ
Imperiive modus ponetur, sole reverso
Sæpius, adveniet vestro de stemmate mundum
Qui regat, & montes massâ qui conterat altos,
In speculo hæc adfecta fides mea perspicit, vnum hoc
Mortalem nescire scio me, rector Olympi
Quâ ratione dabit sæclo confecta futuro,

Quan-

Quanquā hominū mortale genus præsentia tantum
Possidet, esto potens vel summus in orbe tyrannus,
Jnde sequens nescit promittere temporis instans.
Mille sed ante Deus statuit quod sęcla futurum,
Hoc certâ citius nec serius advenit horâ;
Nullus enim magni rescindere certa Tonantis
Jussa potest, non ipsa sibi discordia pugnant;
Jmminet ille dies mundoque novissimus instat
Accensis cœlos qui vtcunque refingere flammis,
Terrenæ & corpus convertere molis in vndas
Cernetur, de lege Dei non tollere iota,
Non apicem poterit, non si mutentur in ęvum
Tempora, & æternum fiat duratio seclum
Hæc, pater. intrepidus contra sic filius orsus,
Exigit ergo Deus vitam, donumq; requirit
Jpse suum! pater obductam tu porrige frontem,
Matura gratesque deo cum laude sonoras
Redde, vocat numen vitę melioris ad ævum,
Parce pater lachrymis corrumpere lumina salsis,
Cœlitus acceptum, cœlo quin gratus eidem
Reddideris, genitor cœlo ne oppedere tenta,
Quo non dextra dei porrecta palatia cœlum,
Terra pedes fulcit, divini est meta furoris
Infernus; distringe pater, jam percute sacrum
Jntrepidus, gremioq; animam complectere nostram
Summe Deus, fatusque humeros velamine nudans
Distendit niveum toto conamine collum.
His animum arrectus dictis Pater arripit ensem,
Jam vires animumque gerit, distringere ferrum

Aggreditur, densoque ferociter aere vibrans
Ventilat, occipite & summo tenus allevat ensem.
Jamque aciem in declive manus prerupta ferebat,
(Ut prope perventum! pueri vt prope colla secabat)
Quum subito *Abrami* dextramq;animumq; repressit
Dextra Dei, quæ larga bonis & blanda benignis,
Hec collum laqueo obstrictum formidine mortis
Vindicat, vna minas hostilis reppulit ensis,
Seque sali submersum vndis, & piscibus escam,
Restituisse solo docet alto elapsus Ionas.
Dum stupet, obtutuque hæret defixus in vno,
Arrectas cœlo vox missa reverberat aures
Angelica, exscindens nubes, & nuncia læti.
Tolle (pater) natum, vaginâ ensemque reconde,
Vinctas solve manus, vos hoc voluisse benignus
Par ratus ac fecisse Deus, non sacra requirit
Sanguine non vituli gaudet, nec cæde bidentis,
Pectoris obsequium sinceri hic vnicus ardet.
Jlle oculos sursum palmasque ad sydera tollens
Æternum natumq; patremque & flamen adorat,
Vervecem quem forte manu comprenderat aras
Propter, mactat: iter sic ingrediuntur ovantes.
Hoc Deus *Abrami* exegit fideique periclum
Non Satanæ de more, hominum qui pectora tentat
Ut firmata fides fraude enervata vacillans
Concidat, vtque infirma dolis infirmior extet,
At divina licet tritam perfringere cannam,
Fumantem & nolit restinguere gratia stupam:
Quin fovet hanc, ligat ast illam, nos vnica servat
Mor-

Mortales, extrema pedes dum tegula fulcit,
Namque hic *Isaco* dum mortis sæva minatur
Vulnera, dumque negat stirpem quasi fœdera contra,
Ipse sibi veluti, vero verumque repugnet:
Interea monstrat vitam de morte futuram,
Nullus *Alexandrum* tantâ pinxisset *Apelles*
Arte, cavo nullus tantâ Polycletus in ære
Duxisset, sculptumve daret, cœlamine vivo
Pyrgoteles, quantâ omnipotens mundique poeta,
Jn cœno *Isaci* numen depingit Iesu.
Jlli mater anus facta est, huic virgo futura,
Huic Deus est, genitorque senex illi, vtraq; cunctis
Suspicienda datur mundi generatio sæclis.
Unus vterque patri natus, fundator vterque
Innumerę gentis, miranda dote potentes,
Hic insons mactandus erat, mactandus & ille
A Patre, post aras *Isacus* vixit in annos,
Vivit & in cœlis Christus, victurus in ævum.

FINIS.



Epigrammata.

AD
INTEGERRIMÆ PIETA-tis, ac omnigenæ virtutis & do-ctrinæ Dominum M. *T.* Hop*eum.* à *Craighall*, alterum Regis Advocatum, Regi a Consilijs, &c.

AVrea priscorum redierunt sæcla parentum,
Temporibusque eadem tempora prisca novis
Spes *redijt*, *redijt* Pietas, Astrea, Themisque
In te vno cernas quas nituisse deas.
Si non hæc totas lustrarunt numina terras,
Saltem in te gentem percoluere tuam.

Ad eundem Mecœnatem.

Mecœnas *græcâ dicaris origine, doctis*
Μη κοινος *quod sis, qui faveas studijs.*

Tibi addictissimus.

Ro: Fairlius.

AD CLARISSIMOS & OPTIMÆ SPEI JU-
venes, M. *Ioannem* & M. *Thomam Hopæos*, filios.

P*ellæi Iuvenis* primos si Curtius annos
Scripsisset, facti quam minuatur honos!
Scribere me vestras vetuit *Spes* provida laudes
Atque Heros (dixit) alter & alter erit,

Ad eosdem.

Tres Charites *Spes* vna fuit mortalibus olim,
Quam miseri, quos *Spes* illa reliquit erant!
Sed peperit *Spes* nostra, vnam si tollere fata
Dura volent, *Scotos Spes* tamen inter erit.

In Edinum Scotiæ Metropolin.

Sex simul infenso certarunt pectore cujus
Urbs *Edina* foret numine tuta, *dij*.
Cernite vos (dixit *Neptunus*) numina, quamvis
Sit fundata solo ponere jura salo.
At mea sit (contra respondit *Iupiter*) arces
Tarpejas cernas quamlibet esse domum.
Hanc fili (*Saturnus* ait,) mihi vendico, nostri
Quæ vidit primos temporis isse dies.
Quin finito [dea *Pallas* ait) mihi reddito Athenas
Alta Stagiritę nonne lycæa vides?
Excandens Astræa vrbem sibi postulat illam,
Quod videat verâ relligione frui.
Res incerta manet, quæsitus in orbe *Palæmon*
Nullus adest, cœli judiciumque silet.
Abnuit esse Themis judex, nullusque deorum
Inventus, qui non hanc velit esse suam,

AD

Ad eximiæ pietatis, raræ & omnigenæ Doctrinæ virum Dom. *Georgium Sibbaldum*, medicinę Doctorem.

GRatus vt extremis veniens mercator ab Indis
Eſt patriæ, gemmis ſi ſit onuſta ratis!
Gratior eſt linquens oras *Sibbalde* remotas,
Ingenij tecum præmia tanta ferens,
Non merces, ſed mercedem virtutis & artis
Apportas, veſtræ eſt lauſque ſaburra ratis,
Expectatus ades, patriam qui laude beaſti,
Et quam nunc tanto plenus honore beas.
Scotia pro te orat; plorat ſed *Gallia*, facta eſt
Jnvida, quæ *Scotis* invidioſa fuit.

Αλλο.

Παιωνος δεδαως τέχνας, διος τε θυγατρων
Των Μυσων μολπας ἠκα μελιζομενος.
Των τε λογων Θεῖκυς τ' ειδως, βιβλων τε δεβηλας
Ενδυκεως σαυτου τ' αλλα τ' επισαμενος.
Γηρᾶι μη κυφος, παντων περι. παντα νοησας,
Τοις τε βροτοις αγαθοις τιμιος, η δε θεοις.

In obitum Viri vere boni ac pii, plurimis in Ecclesia Dei officijs functi, Dom. *Rob. Bodij*, a *Throchoregia*.

BOdius occiduis micuit qui ſydus ab oris,
Occiduis (eheu) lumina condit aquis.
Mundi qui contra motum, ceu ſidera movit;
Terminus at motus contigit inde brevis.

Divino verbi lustravit lumine terras,
Hoc vivo nullum *Scotia* passa σκοτ⊕.
Occidit, eclipsin nec passus transilit vmbram
Terrenam, empyreo figitur inque polo.
Flete vices vestras (mortales) corruet orbis,
(Christus ait) cœli sydera quum ruerint.

In *mortalitatem hominis.*

NAtus homo primæ flos est in flore juventæ,
Et sapit, & pulchræ spirat odore rosę;
Marcidus at postquam terreno est carcere clausus
Quam bene flos oluit, tam male funus olet,

In *transubstantiationis dogma.*

Papicolas quæ dira fames, quis bulimus vrget,
Præda quibus poterit pellere nulla famem.
Qui Christi prædantur oves, pascantur vt ipso,
Effracti medio panis inesse velint.

In *Pontificiorum preces latinas.*

Discipulis fissas divina potentia linguas
Attribuens vario fecerat ore loqui.
Æmulus hoc Missæ tentabat fingere mystes,
Quum *Maria* vetulam dicere jussit *ave.*

In *Pontificiorum libros.*

Nutrit *Roma* viros scribant qui fulmina Christum
Adversus, miris conficiantque modis
Nostrates eadem reflectunt tela ministri,
Inq; sagittantes ipsa sagitta ruit.
Ῥώμης *Roma* suæ recidit confossa sagittis,
Viribus & verè corruit ipsa suis.

In Romam.

Si Lupa *Romanæ* gentis ſit credita nutrix
Non mirum, contra ſi fovet illa lupos.

Ad Clariſſimum virum verè bonum, & Paſtorem *Eccleſiæ Edinenſis Dom. And. Ramiſæum.*

S*Cotia* natali felix quæ lumine, alumnum
Te genuit claro ſtemmate patris, avi,
Te ſchola formavit puerum cognominis, inq;
Salmurio rexti docta lycæa ſophus.
Gallia te mirata, annos mirata juventę
Ramiſei nomen *Gallia* tota colit;
In patriam rediens decoriſq; & plenus honoris
Ornaſti cathedram ſæpius, ore, Dei.
Paſtor *Edinenſis* tandem, rectorq; lycæi,
Et quo non vatis dignus honore clues?
Scotia ſi laudet, ſi laudet *Gallia*, felix
Vates, quem Patria ac extera terra colit.

In Aldum pictorem.

Tercenis Chriſtum nummis damnatus Jüdas
Vendidit, & parvo prodidit ære Deum.
Hinc metuens Chriſtum parvi ne penderet Aldus
Carius hoc multo vendidit effigiem.

In hominum ſocordiam.

Iam vivunt homines, veluti ſint nave vehentes
Siſtere ſe credunt, noſque per alta rapi
Hoc credant quamvis; omnes tamen alta pererrant,
Unaque ſunt noſtræ meta, moduſque viæ.

In

In Tuccam sæpius viduam.

Sejanum possedit *equum* quicunque nefandam
Fertur vi, casu aut occubuisse necem.
Perdiderit vidua hæc toties quod Tucca maritum
Sejanam quid si fabula dicat *equam*?

In Sacerdotem.

Nulla cui mentis *dos* est, nec corporis vlla,
Iro cum tenues quique recenset opes.
Non est a *sacra* dicendus *dote sacerdos*,
Sed quia mendicans δὸς mihi semper ait.

In Gelliam.

Quas vrit, noctes scribat si *Gellia* longas,
Vel *Gelli* poterunt noctibus esse pares.

Ad Ornatissimum & Integerrimę pietatis virum *Dom. M. Tho. Sincerfium Pastorem Edi-*nensem, vigilantissimum.

VRbs pro divino contendit plurima *Homero*
Certamen pro te maximus orbis init.
Græcia prænomen Θωμᾶ, gens Itala nomen
Sinceri donat, non sine consilio.
Qualis enim *Thomas* sincerus Apostolus audis
Illa notat munus, muneris illa modum.
Itala si tanti faciat gens, grecaque, nunquam
Quem vidit, quanti *Scotia* quem genuit?

Aliud

Aliud.

Consulo *Thomasium* quoties legisse juvabit
Verborum spicas, vtpote queis scateat.
Consulo te *Thomam* rerum de examine vero
Sollicitus, te quod nil latuisse sciam.
Ille penus vocum, sed tu penus abdita rerum
Thomam Thomasium diminuisse putem.

Aliud,

Filia *Thaumantis* dicta est hinc vatibus Iris,
Θαυμα prius certâ quod ratione foret.
N[illegible]io quid Θαυμα est, verum abdita dia repandens
Thomas, grande parat relligionis opus.

Ad Ornatissimum & Jllustris candoris, Dom. *Adamum Coltæum*, Pastorem *Mussilbur-*gensem virum verè bonum.

LÆta probat frontis facies te mente serenum,
Facta probant justum, candida vita probum.
Index est animi vultus, vox splendida mentis,
Lætitiæq; sales, tristitiæque minæ.
Adde minas salibus, gravitas fit læta, salesque
Adde minis, oritur lętitia inde gravis.

Ad eundem.

Cuncta Deus nutu si flectat, splendet imago
Numinis in te, qui pectora fronte moves.

Ad optimæ Spei juvenem M. *Oliverum Coltæum filium.*

PErdidit ah miſerum bene conſita pomus *Adamu*
Felicemque tuum reddit oliva patrem
Pullulat & teneris gaudet ſuccreſcere ramis,
Virtutiſque piæ Pallidi grata deæ eſt.
Luxuriet primo primę ſi flore juventæ,
Quis, longo ſi ſtet tempore, fructus erit.

In *obitum Dom. Montis-Roſarum.*

MOns erat in terris ſedes cui antiqua *roſarum*
Felix *Elyſij* nunc premit ille roſas.
Ver erat æternum vitę, nam frigore quamvis
Alſit hyems, medijs fixerat arva *roſis*,
Mortales inter *montem* præfulgida virtus
Reddidit, heu fragilem mors probat eſſe *roſam*
Hinc de Phœnicis ſurrexit pulvere Phœnix,
Jllius interitus, hujus & ortus erit.
Felici genitore ſatus, felicior audit
Filius, & proles vicerit ipſa patrem.
De *Gremio Grami* ſurrexit *Gramus*, vtrumque
Prendere quod nequeat mundus, hic aſtra tenet

In *feſtum omnium Sanctorum.*

Lux vbi feſta venit *Sanctorum*, *Scotia* lætum
Tum ſolet & feſtum concelebrare diem.
Non prono viſit peregrinas poplite terras
Pontificis miſeros quippe peroſa dolos

Ast equitum virgata cohors procedit in armis
  Visere queis saxis *Terminus* arva regat.
Nullus & hoc numen; ni ignarus sutor adorat,
  Lapsus equo recidit, qui tremibundus humi.
Dona, nucum ficto dant rupta putamina divo,
  Hoc cultu, his donis numina vana colunt.

In Claudiam præ ebrietate os sibi occillantem.

Quæ *Plantas* vix passa prius contingere terram
  Claudia (ceu rubro poneret ęre) pedum.
Cur (quod mirandum) *gelidæ* nunc oscula *matri*
  Tot dedit, vt fervens fluxerit ore cruor.
Vina ferunt causam, sed mens miratur iniquam
  Reddere qui possint impia vina, piam.

Oratio Dominica.

C*Œlestis genitor*, sanctum sit nomen, in orbem
  Transeat imperium, pariter terrâque poloque
Arbitrio stetur; da panem, atque æra remitte
Nos velut hæc aliis, ne expone, repellito damnum,
Gloria nam vestra est (per sęcla) potentia, regnum.

Ad Ornatissimum, omni pietatis & omnigenæ Doctrinę cultura politissimum Virum M. Iohanem Adamidem Acad. Ia: Regis Præceptorem Primarium.

EFFera si duræ rigeant præcordia cautis
  Duritie, quovis asperiora jugo.

Prima feras superet primæ si que ira juventæ,
Si ferior juvenis lynce, Leone, feris:
Pręceptis quantum sanis flexisse juventam,
Et verbis quantum flectere corda virûm!
Hoc præstas mystes sacer interpresque fidelis
Verbi, illud Sophię rector, vtrinque clues,
Sed quod ab integro tralucet pectore candor,
Tergeminæ merito nomina laudis habes.

Ad Ornatissimum virum M. *Gul. Regium* Academi
Iacobi Regis Edinburgi Regentem, quondam suum.

PErsuadere volens doctrinam, & voce disertâ
Sensa animi pueros edocuisse meos
Tum recolo quondam *Regi* vultumque decusque
Quo Sophiam audivi te reserare piam.
Orator quam sis vehemens præconia verbi
Monstrant, quam doctus, doctâ lycæa probant
Pręstiteris operam, quærat si *Scotia*, qualem,
Hanc monstrat quinâ laurea facta vice
Quam doctrina ferax! venæ quam fertilis ardor!
Tot data quę ingenijs, nec minor ipsa tibi est.

In obitum lectissimæ Fæminæ Rachelis Arnotæ.

PEllite lætitiam musæ, lugete sorores,
Mnemosynen vobis sustulit vna dies.
Plangite matronę, fas si sit plangere matrem,
Mater quæ fuerat Relligionis abest,
Mœsta *Rachel* natos misere ploravit ademptos,
Nati defunctam nunc doluere *Rachel*;

Ter felix, ſoboles cui tanta recluſit ocellos,
Felix ter proles, cui fuit illa parens.
Enthea mens fuerat, rebuſq; ornata ſecundis,
Externâ, internâ dote beata fuit.
Judice vel docto felix dicenda Solone
Ultima cui fuerat optima ſola dies.

Pætus ad Arriam.

Arria (crede mihi) nos vnus ſuſtulit enſis,
Tu pars es vitæ dimidiata meæ,
Enſeq; fodiſti veſtro me, denuo nullus
Nunc doleam, quamvis vulnus vbiq; forem.

In Sycophantam.

Dum nivis in pilulas congeſtâ mole ſodales
Mutua certatim tempora percutiunt
Jnſcius ille pilæ medio latitantia jactans
Saxa, ferit ſocij pectus inerme ſui.
Deflemus caſumque hominis, mortemque ſodalis
Et læſos luſu vulgus vtrumque dolet.
Ergo in me veri niveo qui ſubter amictu
Conſcius, injecit crimina: iure luet.

In Gallicâ *laborantem lue.*

Mutius infeſto cædens pro rege Miniſtrum
Suſtinuit flammis impoſuiſſe manum.
Tu ſcabiem ſcorti pro forti nactus amicâ,
Diceris ardentes nec timuiſſe focos.

Error vtrique nocet, decepti injuria teli,
Læsit at hunc livor, te ſcabioſa lues.

In promi-condi obitum.

Conditur hoc viridi promus ſub ceſpite condus;
Promere quam nequijt, condidit ille penum
Cum Dominâ acceptum expenſum pariavit, iniquum
Neſcit, & humano liber ab ære jacet.
Debita nunc Domino vitæ ſua priva rependit,
Quas non ſolvendo eſt, ſolvit Jeſus opes.
Temnite mortales penoris diſtendere cellas
Non penus œconomum, deſerit ille penum.

In Amorem.

Solus amor ſuperat vires animoſque deorum,
Jrrita qui ſpernit tela triſulca Iovis.
Saturni falcem contemnit, *Palladis* haſtam,
Neptuni huic poterit nil nocuiſſe tridens.
Quique arcum ſuperet Phœbi, ſuccingitur arcu,
Telum quod Phœbi tela repellat habet.
Mercurij virgamque regit, virgaſque virorum
Quas teneat vires ſi foret ille ſenex.

Ad Amicum Iohannem Rowæum Iani. Cal.

O Mine quo cœptus peragique hoc creditur annus
Anni principium Janus & omen habet
Hinc ego ne toto parcus tibi crederer anno
Do, ſed ne fiam prodigus, *accipio.*

Al-

Aliud,

Alternâ pollux mortalem morte redemit
Castora, mortalis factus & ille Deus.
Ergo Deum a dando me dicis? te accipiendo
Mortalem? mutes hâc ratione vices.
Da *Deus*, accipiam *mortalis* munera, fiam
Utcunque haud *divus*, ast ego *dives* ero.

In Ανωνυμον.

Qui modo divini spirabas dogmata verbi
Persuadens cunctis pacis amore frui.
Moribus, O quantum subito mutaris ab illis,
Cristatus Christi namque minister ades.
Lætabare prius Christi *tormenta* referre,
Nunc *tormenta* geris pulvere farta truci,
Linteolo tantum Dominus se cinxit Iesus,
Servorum passus seque lavare pedes,
Serica sed cingit te *fascia longa* superbum,
Ille asino vectus, tuque superbus equo.
Ille *feros* divo gestavit vertice *sentes*,
Tu *pinnas*, apta est cui mage *pœna*, geris.
Aufuge militibus da tu sua munia diris,
Et te Paulinis cingito præsidijs.

Ad Eundem.

Sat scio *quæ* scripsi non *de quo*, doctus ab ore
Alterius, sorex ne siet ipse sibi.

Jn obitum D. M. *P. Galluvidij* Pastoris Regij & Edinensis, *viri gravissimi.*

ENthea nulla potest Suadæ vis pellere mortis
Vulnera, Threiciæ carmina nulla lyræ.
Eloquio humanas potuit qui flectere mentes,
Cordaque caucasceis asperiora iugis.
Flectere dira nequit parcarum numina manes,
Quo minus ad cæcos, lumine cassus eat.
Orpheus allexit manes, cœlumque revisit,
O vtinam ad manes hic rediturus eat.
Gallus vt, ętheriæ prędixit lumina vitæ
Scotigenis, Christi præcinuitque iubar
At ne aliis semper lumen cantaret Olympi,
Cæcus & ipse foret, *vidius* hocce *videt*.

In festum Iulij.

Scotia natales Christi sub nomine Iuli
Concelebrat, iusto non sine consilio.
Christi qui fuerat natalis, nænia *Romæ* est,
Julia gens Christi numine victa iacet.
Anseribus, prostrata canit capitolia cæsis,
Scotia: *Romanis* invidiosa viris.

Leander.

Hellespontiacas quum iam *Leander* ad vndas
Staret, & insani cresceret ira maris
Accensam de turre facem per nubila cernens
Ad maris hæc tumidas murmura fudit aquas

Me ſinite O fluctus dominæ parere vocanti,
Me ſinite aſſuetâ piſcibus ire viâ
Non meus, at Dominæ jam ſum, mihi parcite venti
Quo meus & fuero tempore, ſubruite.
Dixit, & infido ſubnixus pectora ponto,
Alterno dextræ pondere preſſit aquas.
Frigora pellebat Dominæ ſpes, cujus in vno
Complexu ardentem noverat eſſe focum.

In Ethnicorum deos.

Mars crudus præſes belli, cædiſq; nefandę eſt
Cœlicolamq; putat Romulus eſſe Deum.
Præſit adulterio Venus eſt quæ, filia ſpumæ,
Æternam volet hanc Ætheris eſſe deam.
Mercurius fallax curet qui furta, rapinas,
Hos tres ætherios jurat & eſſe deos
Ergo homicida eſto, fur ſit, populator, adulter;
Attamen ætherijs cordi erit ille dijs.

Pupillus ad tutorem Pſeuden.

De pueris optare ſolent quæ vota cinædi,
Hæc de me Pſeudes vota referre ſolet
Scilicet vt rarâ ſquallere lanugine mentum
Viderit, & puerum degere, ſero virum.

In illicitas nuptias Leonorę.

Gentis apud priſcæ Pœnos diſſolvere nuptis
Prima pudicitiæ vincula, regis erat.

Hoc

Hoc metuens leonora priusquam nupserit, ipsam
Prostituit, Regis sic fugitura manus.
Alteraque vt possit dici *Lucretia*, Regis
Vim fugiens, mœchi se volet *ense* fodi.

In Mercenarium Ministrum.

Vendiderit si quis xenium gratantis amici
Justa quidem socij pectoris ira foret
Justior in Pœnum Christi vindicta, ministrũ
Quem dedit, ingenij dotibus accumulans
Ære ministerium sed mutat, jure relinquens
Templum, ne Christus pelleret inde, suum,

In Æschinum currucam.

Æschine te jactas magnâ de gente creatum,
Gens tua quadrupedum, gens tua magna boum
At sacrâ dices genitum te stirpe deorum,
Hoc volo: cornuta es Iside matre satus,
Uxorem claro natam quod stemmate clames,
Digna Jove est, fratrem te dedit esse Jovis.
Hæc dea, cornutus tu bos; non vitta recinget
Cornua, nam fœdis pollueris maculis.

In Coclitem.

Cocles tormenti dum sæva tonitrua solvit,
Mireris, præstet quod colubrinus opus;
Hostibus adversis, simul aversisque tuetur
Semer, dum ventris posteriora crepant,
Fulminat antrorsum strepitu, crepituque retrorsum
Jncertum Janus Jupiter anne siet.

In Leonaram.

Jn ſpeculo Leonora ſui cum cerneret oris
Filum ſe Lunę dixerat eſſe parem.
Nec temere, ceu Luna ſuo non lumine ſplendet
Sic falſo vultus illa colore nitet.
Hæc varios ſubit (aſpectus diſcrimine) vultus
Subdola quin facies mutat & illa novas.
Plena tibi arridens, illi mox dividit orbem,
Sic capiti impendent cornua panda tuo.
Luminis hęc ſalſas, hęc fluminis excitat vndas
Imperat hæc maribus, imperat illa mari.
Pallet vbi plorat, rubuit quum jurgia ſpirat,
Rarò, vel nunquam fronte ſerena micat,
Luna vtcunq; Polum Terras & tartara luſtrat,
Incola Tartareæ ſit Leonora domus.

In obitum *Iohannis Folliſij* Viri honeſtiſſimi.

Ergone *Folliſium* cæcis mors dira tenebris
Confundat, tantum noxque profunda tegat?
Moribus, exemplo vitæ feliciter actæ,
Follis ceu, laudis foverat ille faces,
Vitalis quamvis follis diſrumpitur auræ,
Illius aſt hominum pectora fama fovet.
Spiritus in cœlis, ſi ſpiret, famaque terris,
Amphibium cœli eſt, amphibiumque ſoli.

In Obitum lectiſſimæ fœminæ *Margaretæ Caſſie.*

C*Aſſia* quę quondam *Caſto* bene nupta marito
Heu jacet in multos lumine *Caſſa* dies.

Si

Si probitas annos numeret, vixiſſet in ævum,
Si vinci poſſit parca, tuliſſet opem.
Iam petijt *Caſiæ* nemus ambroſiæq; virentis,
Et fortunatos adſpicit illa greges.
Nam ſimul huic *caſſes* mors callida fixit acerbos,
Ceu caſſita truci caſſe perempta jacet.
Struxit at in *caſſum caſſes* mors pallida, cœlis
Regnat enim, Chriſti caſſide preſſa comas.

Ad bonę famæ & integerrimæ vitæ M. P. *Hende*ſonum *muſicum inſignem, de affinitate muſæ & muſica.*

Quam ſit amica meæ tua muſica cernito muſa
Inter diſcrimen quam ſit inane vide
Nulla valere poteſt gemibundi muſica cordis,
Muſica nec medijs vult habitare malis.
Nulla poteſt capitis lachrimoſi muſa valere,
Ferre nequit luctus muſa ſerena graves
Utraque lætantis venæ eſt, animique ſereni,
Mutuaque inter ſe jura fidemque tenent.
Muſica dat cantus, verſus pia muſa canendos
Muſica dulce melos, muſaq; condit epos.

In nefandum Alex. Henni *obitum.*

Naturas, ſpecieſq; avium quum ſcripſerat Henus
Seque operi voluit inſeruiſſe ſuo.
Aeriâ ſe turre iacit, tentare volatum
Auſus, ſed fruſtra deſiluiſſe ferunt.
Ut qui erat implumis; cervicis vincula fregit
Stercore ſat *avi* dilituiſſe fuit.

In obitum suum nefandum Stonesius.

D'Um miser in tenebris *Grinlæam* comprimo mœ-
Cum mœcha, & solâ solus adulter eram (chus
Cardinibus vigiles convellunt ostia versis,
Aufugio vt causæ sic rationis inops
Asseribus medijs primi sub culmine tecti,
Jnstar erat magnę larga fenestra foris.
Hanc miser egressus manibus perterritus læsi
Sustinuit digitos solvere at illa meos.
Quid miri? nostrum voluit si perdere corpus,
Quæ me animam fecit perdere mœcha meam
Illiciti ingressus tecum (*Grinlæa*) letalis
Egressus, iusti numinis ira fuit.

Ad Doctissimum Virum D. M. *P. Sandæum* quondam *Academiæ* Jacobi *Regis quæ est* Edin*burgi* Præceptorem Primarium.

DOgma stagiritæ vetuit laudare parentes,
Et mihi Præceptor creditur esse parens
Si tuus ergo honor est internus non meus autem
Externus, faciam quid? nisi semper amem?

Aliud.

Mirum est tot terris, tam multo littore arenas
Jactatas nostrum nunc tetigisse solum.
Quæ non his virtus est invenienda? mathesis
In quibus & Sophia, fus & vtrumque nitent.

Nau-

Naufragus has si forte Sophus vidisset arenas,
  Non temerè hic homines diceret esse satos.
Regum oculus dixit *fætas* Iacobus *arenas*,
  Dum *steriles* nomen diceret esse suum.

Ad Ornatissimum Virum D. M, *Andream Blackha[ll]*
Pastorem *Abreladiæ* vigilantissimum.

GLoria difficili quam sit quærenda labore,
  Vita probat tua, quam gloria sola trahit.
Carpe rosam, & teneris subito penetrabere spinis
  Gloria sanguineo non sine marte venit.
Quod mare? quas terras? quæ summa pericula sperni[t]
  Navita? dum redeat merce referta ratis?
Non mare, non terras, non vana pericula curas,
  Dummodo sit Christi gloria parta tui.
Perge, exantlanto vitæque viæque labore,
  Unicus est cœlos inde redire labos.

Inæqualis amor.

Inter formosas annosum forte puellas,
  Annosas juvenem vidimus inter anus:
Ille miser canus, manibus nec corpore pernix,
  Oscula non potuit non geminare senex,
Oscula nec juvenis poterat cohibere, seniles
  Basiolis nequijt non onerare genas.
Ille instar porri, cano qui vertice, caudâ
  Sed viridi, medijs vult habitare rosis
Jnitar & hic hædere rimosâ & caute virentis,
  Vult quamvis duro prosiluisse jugo;

Esto:

Esto: rosę pungent porrum, spinisque retundent:
Esto: hederâ saxum depereunte manet.
Olla habeat porrum, maneant jncultaque saxa
Atque hedera in mediis crescat amœna rosis.

Aliud.

Mors & Amor, cæcâ mutarunt nocte pharetras
Telum mortis amor, Mors & Amoris habet.
Hinc falsâ percussit Amor quoscunque sagittâ,
Semper amant, pallent, emoriuntur, egent.
Hinc senio quoscunque graves Mors pallida fixit
Incurvos, tremulos, dum moriuntur, amant.

In Helleburtonum.

Captivum duxit me Mars, nunc denuo captum
Mors retinet, cunctis quæ struit insidias.
Captivo pro me mutavit Læthą redempto
Tres proceres, tanti nominis vnus eram.
Nunc pro me capto Christum persolvit Olympus,
Profuerit quantum semper ab hoste capi!
Mortales pro me redimendo, quamlibet vno,
Sat tres; pro cunctis sufficit ille deus.

In Clarissimi viri D. *Samuelis Elphistonij* domum, *Elphistoniam.*

SI quæras quot saxa queant durare per annos,
Cerne hæc bis sæclis quæ viguere tribus.

Ad Ingenuum virum M. *Rob: Kæn-*
rossium Automatopęum.

QUis nisi mentis inops, cæco insanusque furore
Commune alterius gaudeat esse malum?
Gens *Romana* rosam te dicit, Græcia κοινον
Communem cupiant te quod habere rosam
Ergo bonus tu *Kænrossi* es, de nomine tantum
Si certent, quanti res foret ipsa, vide.

Ad Clarissimum & antiquę Generositatis Virum D.
Robertum Fairlæum *Baronem à* Bredâ.

NAtus vt in *pulchris*, *pulchris* moriaris in agris,
Ut puerum possit cernere *Breda* senem.
Breda parens patris, patruique, hæc *Breda* quotannis
Constitit, annales non meminisse queant.
Non pater, aut avus, haud proavus, cariosa registri
Ætas, non quę sit dicat origo domus.
Vive diu gratusque Deo, Regique, paterni
Nominis, & nostræ gloria prima domus,
Floribus vt natus medijs sic *flore* sepulto
In medio terram dent tibi fata levem.

Ad Clarissimum & optimæ Spei juvenem
Alexandrum Fairlæum filium.

CLarus *Alexander Fairlei* nominis vna
Spes mihi, spem nolint fallere fata meam
Quam prope dirarum rapuisset turba sororum
Vidimus, & vix dum corda dolere carent
Non animus tantum prudens, vultusque decorus
Nunc nati, cras vt emoriantur, erant,



IN LAUDES DEI BENIGNI HYMNUS.



IN LAVDES DEI BENIGNI.

HYMNVS.

FRigidus oppressos somnus quũ liquerit artus
Fugerit & segni corpore lenta quies
Humida dum cerebri lustrãt penetralia sensus
Et fugiunt capitis pondera cęca mei.
Tum recolo dederit misero mihi quanta benignus,
Meque Deus quantâ dote bearit amans.
Me natum infecit miseræ contagio matris
Quam tulit ad cunctos primus in orbe parens:
Jnsuper & proprio violavi crimine numen
Sępius, in longâ quam fluat hora die:
Me tamen hoc fœdum peccati stercus olentem
Sustulit, & chari nutrit amore patris,
Tartareusque premat nigri ne carcer averni
Sulphureas Christus pectore passus aquas.
Ne crucier tulit ille crucem, mortemque triumphans
Vicit, aculeolus vt mihi fiat iners.
Sanguineus fluxit sudor de corpore, mortis
Sudor vt optatus hęc mea membra riget
Sponte feros multo, portans cum scommate, sentes,
Oscula & incurvo præbuit ore Deus,
Nec tulit invitus, passis hinc inde lacertis
Dat mihi complexus semper habere suos.

O mors digna meo redamari sanguine, flammâ
Siue abeat, fosso pectore sive fluat.
Sive meum feriat collum præacuta securis,
Militis aut pungat cuspis inerme latus
Sive canes rabidi me cingant, sive leones,
Membraque ponantur dilanianda feris.
Nil moror, hasta dedit pendenti vulnera Christo
Quæ sint peccati pharmaca sola mei.
Huncne colam vernâ pro me qui pertulit insons
Tanta, licet celsi dirigat astra poli
Nec tantum ætherię tribuens solamina vitæ
Lumine concessit inferiore frui.
Prægnantis fregi quum rupta repagula ventris,
Vagitusque, recens editus, ore dedi.
Jlythuia mihi ridens, vteroque relapsum
Tollere dignatus, prima Levana fuit.
Potica mî dulci roravit membra liquore
Et puero gessit munia prima Cubæ.
Blandâ dedit teneros mihi dulcis Edulia victus
Et mihi pro cunctis restitit ille dijs.
Aureus insidijs serpentis texit *Apollo*
Ne mihi *Pythonis* dira venena forent.
Huic ego thura mei succendam pectoris alti,
Jupiter in cunctis prodigiator adest.
Dat mentem Sophię sitiens quæ mystica cultæ,
Bibat. vt inscriptas rasa tabella notas.
Sic dat inaccessos *Parnassi* scandere colles,
Musarumque levi tingere guttur aquâ,

Atque mihi lassi recreentur corporis artus
  Callida dat molli ponere membra toro.
Mox venit e Lethes securo flumine *Morpheus*
  Demulcetque novus lumina fessa sopor
Tum vigiles fugiunt imo de pectore curæ ;
  Cedit & ex animo sollicitudo gravis.
Ac ne sicca forent studijs mihi sensa cerebri,
  Rore rigat sensus humida luna meos.
Sic mihi dat longam recubanti fallere noctem
  Donec ab Eois Lucifer exit aquis.
Ad solitos tum blanda vocans Aurora labores,
  Nunciat incœptum, prævia, Solis iter.
Impiger aurato scandensque per æthera curru
  Phæbus ab Eoo limite pellit equos.
Despuo tum insulsas Mauri Atlantumque querelas
  Sydus in exoriens vitia quæque ferunt.
Rectus agit radios, artus caligine fuscans
  His ; mihi sed frigus dulce calore ciet.
Sunt quibus occiduis sua lumina condit in vndis
  Nec nisi post sexto surgere mense solet.
Me vidit alternis stringens juga celsa diebus,
  Et docet exemplo ferre labora onus,
Hinc ne mordacis curæ subeuntis imago
  Terreat, aerios dat Philomela sonos.
Lucar in æthereo perblanda susurrat Olympo
  Et hunc supremum concinit ore Jovem.
Aureus & rostro merulus mihi personat odas
  Mœroremque fugat carmen acanthis amans.

Hymnus.

Arduus *Arthuri* resonat mons personat Echo
Quâ videt antiquæ devia saxa *Bredæ*,
Cuncta creatorem laudant viventia sanctum
Cantat & excelsum quælibet herba Deum.
Quanto avium ignaros superant mea carmina cantus
Oris & excedit murmura mentis opus.
Hoc ego flammantis divinum numen Olympi.
Grande meâ vocis lætior arte canam.
Qui fuit, est, & erit, verboque micantia finxit
Signa poli, & quicquid maximus orbis habet
Hæcque dedit servire mihi, quo serviat ipsi
Mens mea, divinâ dum bonitate calet.
Hunc mea musa canat, nec parcat penna lituris
Fons fuit in nostro carmine, finis erit.

FINIS.

Errata.

A 2 Empyrium, lege empyreum. A 4. volet, lege movet. causę lege clausæ. A 5 transversam, lege transversum, B 3 quęrelas, lege queræla s. B 7 voci, lege vocis E 3 Defluemus, lege Deflemus.